FONS ELOQUENTIÆ

STUDIOSÆ JUVENTUTI PATENS

SIVE

EXPLANATIO RHETORICÆ,

ACCOMMODATA CANDIDATIS RHETORICÆ:

Cui adjicitur

ANALYSIS RHETORICA OMNIUM ORATIONUM M. T. CICERONIS,

Quâ ars ejuſdem, & methodus dicendi eruitur, & cuivis etiam docto Oratori ad imitandum proponitur.

A R. P. MARTINO DU CYGNE,
SOCIETATIS JESU.

Editio nova, ornatior & correctior.

VENETIIS, M. DCC. XIII.
Apud Jo. Gabrielem Hertz.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

MI LECTOR, ab annis duodecim ſcripſi Rhetoricam meis diſcipulis: nam cùm cernerem in multis Authoribus deſiderari nonnulla, ut perſcuitatem, ut brevitatem, ut delem exemplorum, ut ordinem, ut neßarios etiam tractatus, exiſtimavi il tam optandum adoleſcentibus quàm ta Rhetoricæ præceptâ. Quare non ıltò poſt quidem illam Rhetoricam eli: non quòd meliorem aliis venditan (fuiſſet arrogantis) ſed ut aliquid dio, ſi poſſem, ad commune bonum ıferrem. Mihi jam, plurium annon uſu, magiſtro, licuit diſcere, & imorum authorum inventis addere, denique perficere opus, quod ſemel ſcolis ſucepi. En cauſa hujus red-

dendæ prælo Rhetoricæ. Alterum moneo, nempe me multa, in primo præſertim libro, de adjunctis, & affectibus, & modo variandæ orationis dicere, quæ alicui fortaſſe longiora videantur. Verùm ego exiſtimo debere me in hac vaſta arte complecti omnia, nihil, quod ſit momenti, prætermittere: poſſunt autem multa, & debent adoleſcentibus prælegi, quæ ediſcere memoriter non eſt neceſſe, ut ſunt longa exempla, aut diſputatio ſubtilior, aut quid hujuſmodi, tum primus & ſecundus liber erit expeditior in Claſſe Rhetorices, ſi tertius antè fuerit Poëtis traditus. Vale.

DE APPARATU,
SEU DE IIS, QUÆ UNIVERSIM
AD ARTEM RHETORICÆ
PERTINENT.

CAPUT UNICUM.

QUatuor univerſim queri poſſunt de arte Rhetoricæ: 1. Quæ ſit natura & finis: 2. Quæ materia: 3. Quæ ſubſidia: 4. Quæ partes.

ARTICULUS PRIMUS.

Natura, & finis Rhetoricæ.

VNde Rhetorica ducit originem? R/. A verbo ῥέω, quod Latinè ſignificat fluo, fluidè loquor: eò quòd Rhetorica ſit Ars tradens præcepta fluentis Orationis; ſumptâ ab aquis bellè fluentibus metaphorâ.

Quomodo Rhetorica differt ab Eloquentia? R/. Differt in eo, quod Rhetorica ſit Ars ipſa, quæ præcepta dicendi continet: Eloquentia ſit exercitium, ſeu uſus præceptorum. Ita inter Rhetorem, & Oratorem eſt diſcrimen: Rhetor enim vocatur, qui Rhetoricæ præcepta tradit, vel explanat: Orator verò, qui in foro & concionibus illa exercet.

Quomodo definitur Rhetorica? ℞. Definitur Ars vel ſcientia benè dicendi: hoc eſt ornatè, graviter, & copioſè loquendi. *Quintil. lib. 2. cap. 16.* Ars autem eſt facultas conſtans quibuſdam præceptis cognitis, quæ non fallunt. *Cicero de Claris Oratoribus.*

Quomodo differt Rhetorica à Grammatica, Hiſtoria, Poëſi, Philoſophia? ℞. Differt in eo, quod Grammatica ſit Ars emendatè loquendi, Hiſtoria ſimpliciter narrandi, Poeëſis imitandi & fingendi, Philoſophia preſsè & interruptè diſputandi: quare hæc pugno, Rhetorica palmæ comparatur.

Quis eſt finis & officium Rhetoricæ? ℞. Finis Rhetoricæ eſt Oratorem formare: officium, præcepta tradere atque exponere. At officium Oratoris eſt accommodatè ad perſuadendum dicere: finis, perſuadere dictione. Quod fit docendo, movendo, delectando: docemus argumentis, & argumentatione: movemus amplificatione, & affectibus: delectamus culto ſuavi, & apto dicendi genere. *Cic. de Invent. lib. 1. Quintil. lib. 2. cap. 15.* De quibus ſigillatim ſuo loco.

ARTICULUS II.

Materia Rhetorica.

QUæ eſt Materia Rhetoricæ? ℞. Eſt quævis quæſtio ad dicendum propoſita. Nam Materia cujuſque artis eſt ea, circa quam ars verſatur: ut, *ſi medicina materiam dicamus morbos & vulnera*, quòd in his omnis medicina verſatur, *Cicero de Invent. lib. 2.*

Quotuplex eſt quæſtio? ℞. Duplex: Altera infinita (quæ & Græcè theſis, & Latinè propoſitum dicitur) cùm aliquid generatim quæritur; eſtque hæc quæſtio abſoluta à certis perſonis, locis, temporibus actionibus, negotiis, & ſimilibus circumſtantiis: v. g. *Eſt ne ſtudendum.* Altera finita, (quæ & Græcè hypotheſis, Latinè cauſſa & controverſia appellatur) cùm aliquid ſpeciatim quæritur, eſtque hæc quæſtio contracta ad certas perſonas, loca, tempora, actiones, negotia, & ſimiles circumſtantias; v. g. *Eſt ne ſtudendum Ciceronis eloquentia in Belgio, adoleſcentibus, belli tempore.*

Rurſus ex his naſcitur alia duplex quæſtio: prima eſt

eſt cognitionis, cujus finis eſt tantùm ſcire; ut, *an Sol ſit major terra*. Altera, eſt actionis, cujus finis eſt aliquid efficere; ut, *quibus officiis amicitia ſit colenda*.

Quot ſunt genera, in quibus fieri poteſt quæſtio? ℞. Tria: genus judiciale, deliberativum, & demonſtrativum (quod alii exornativum, & epidicticum vocant) quaſi in hoc genere res demonſtrentur & exornentur magis, quam probentur.

Quid ſpectatur in genere judiciali? ℞. Accuſatio & defenſio, ut ejus partes; punitio & impunitas, ut finis: ſævitia & clementia, ut motus.

Quid ſpectatur in genere deliberativo? ℞. Suaſio & diſſuaſio, ut partes; utilitas & detrimentum, ut finis: ſpes & timor, ut motus. Nam finis, quem ſibi proponit Orator in ſuadendo, eſt oſtendere rem eſſe utilem, quam ſuadet: movetque deliberantem ad ſpem maximè: in diſſuadendo contrà eſſe inutilem oſtendere; & in reformidationem pertrahit.

Quid ſpectatur in genere demonſtrativo? ℞. Laus & vituperatio, ut partes; honeſtas & turpitudo, ut finis; delectatio & indignatio, ut motus.

ARTICULUS III.

Subſidia Rhetoricæ.

Quibus, & quot rebus comparatur Rhetorica? ℞. Quatuor: Naturâ, Arte, Exercitatione, Imitatione. *Cicero de Orat. Quintil. lib. 3. cap. 5.*

Quid confert Natura ad eloquentiam? ℞. Confert ex parte animi, ingenium, judicium, aliaque dona ad inveniendum, diſponendum & eloquendum: ex parte verò corporis, formam, valetudinem, vocem, geſtum. *Cic. de Orat. l. 1.*

Quid confert Ars ad eloquentiam? ℞. Præcepta certa, & longâ doctorum animadverſione uſuque comprobata. Ars enim certior eſt dux, quàm naturâ, hancque maximè perficit: quare pauci, etſi magnis ingeniis præditi, ſine arte eloquentiam ſunt conſecuti. *Cicero de Orat. lib. 2.* Cæterùm, utra plus conferat eloquentiæ, ars, an natura, conſule Quintilianum *Inſtitut. lib. 2. cap 19.*

Quid confert Exercitatio ad eloquentiam? ℞. Auget, & conſervat, quæ ars expolivit in natura. Verùm exercitatio quatuor complectitur:

I. Lectionem cùm omnium pro materia, tum unius probatiſſimi Authoris pro ſtylo ac forma.

II. Mediationem, ut ſumatur ſpatium ad cogitandum, ne perverſè & extemplò dicatur.

III. Scriptionem: nam cùm ſtylus ſit optimus dicendi effector, magni intereſt ſæpè ſcribere.

IV. Emendationem eorum, quæ primùm ſcripta ſunt. Emendationis autem tres ſunt partes, adjicere, detrahere, mutare; eaque tria optimè præſtare poſſumus, ſi quæ primo calore effudimus, in aliquod tempus repoſita, per intervallum ſæpè rejuſtemus, & tanquam aliena legamus, damnando quæ placuerant, & inveniendo quæ fugerant. Hæc & plura de exercitatione præcipit Fabius *lib.* 10. *cap.* 3. 4. 5. 6. 7.

Quid confert Imitatio ad eloquentiam? ℞. Imitatio confert, ut optimo cuique authori, ſimiles in dicendo evadamus, & quæ ſunt in eo ſumma, diligenter proſequamur. *Quintil. lib.* 10. *cap.* 2.

Quotuplex eſt imitatio? ℞. Duplex: alia dictionis, quæ in verbis & ſententiis, vel iiſdem, vel paululum immutatis ſita eſt. Si Catilinariæ. L. exordium facile eſt vel pueris imitari: *Quoſque, tandem abutere, Peccator, patientia divina? quamdiu hanc etiam vita iſta tua eludet? quem ad finem ſeſe inveterata jactabit impietas? nihil ne te impendentia mortis pericula, nihil inferorum pœna, nihil terror conſcientiæ, nihil incurſus dæmonum, nihil ſeveriſſimum Judicis tribunal, nihil hujus os, vultuſque moverunt? patere tua ſcelera non ſentis? &c.*

Alia imitatio eſt rerum, cùm ejus, quem imitamur, inventionem, aut diſpoſitionem, aut elocutionem, in re ſimili, vel diſpari exprimimus. Ita Cicero Græcos, Virgilius Homerum ſæpè imitatus eſt cum laude. Ac Cicero quidem quomodo Demoſthenem fuerit imitatus, in exordio pro Muræna, & in oratione funebri militum Philippica XIV. & alibi, vide apud Cauſinum *Eloq. lib.* 3. *cap.* 17. ne ſim prolixior. Tum quomodo Virgilius ſit imitator Homeri, oſtendimus in Arte Poëtica. Articulo ultimo.

Hic breviter appono exemplum ex innumeris unum; vis imitari exordium pro Dejotaro, illud applica Chriſto patienti: & dic te maximè commoveri ob cauſas quatuor: primùm, quòd cernas hominem Deum in crucem actum, quem paulò antè tota civitas venerabatur. Deinde, dicas te Judæorum

cru-

crudelitate, & proditoris Judæ indignitate perturbari, tum te æterni Patris clementiam mirari, qui ad hæc ſcelera connivet. Quartò movearis rerum prodigiis, ut obſcurati ſolis, terræ motûs, &c. Eodem modo per orationem pro Milone imitari potes duplici proſopopœiâ; unâ morientis Chriſti ad peccatorem; alterâ peccatoris ad Chriſtum.

Sed cavendum eſt, ne ſtudio imitandi uſque eò ducamur, ut noſtra repudiemus, & omnia ex alterius ore loqui velimus; quæ magna ſervitus eſt, atque ingenii contractio. Imò monet Quintilianus *citato lib.* 10. *cap.* 2. conandum eſſe aliquid ſupra eos, quos imiteris. Adde quod plerumque facilius eſt plus facere, quàm idem. Denique optima eſt imitatio, ſi in ea non appareat, quod imitati ſumus; vel certè ſi appareat, aliud ab illo videatur eſſe.

ARTICULUS IV.

Partes Rhetoricæ.

Quæ & quot ſunt partes Rhetoricæ? ℟. Quinque: Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio. Oportet enim primò invenire quid dicas, deinde inventa diſponere, tum ornare verbis, poſt memoriæ mandare, ad extremum agere. *Quint. l.* 3. *cap.* 3. *Cic. de Orat.* 2. *De Inv. l.* 10.

Quid eſt Inventio? ℟. Eſt excogitatio rerum verarum, aut veri ſimilium, quæ quæſtionem probabilem reddant.

Quid eſt Diſpoſitio? ℟. Eſt rerum inventarum in ordinem diſtributio.

Quid eſt Elocutio? ℟. Eſt idoneorum verborum, & ſententiarum, ad inventionem accommodatio.

Quid eſt Memoria? ℟. Eſt orationis firma perceptio.

Quid eſt Pronuntiatio? ℟. Eſt ex rerum & verborum dignitate corporis & vocis moderatio.

R. P. MARTINI DU CYGNE ARS RHETORICA.

LIBER PRIMUS DE PRIMA PARTE RHETORICÆ SEU DE INVENTIONE.

Quoniam finis Oratoris eſt perſuadere dictione, perſuaſio autem conficitur fide, & motu; hinc quatuor invenienda ſunt Oratori, Argumenta, & Argumentatio, Amplificatio, & Affectus. Duo valent ad fidem faciendam, convincendamque intelligentiam, Argumenta, & Argumentatio: Ad motum, ſeu voluntatem pertrahendam duo, Amplificatio, & Affectus. *Cicero in partit.*

CAPUT PRIMUM.

De Argumentis.

Quid eſt Argumentum? ℞. Eſt inventum ad faciendam fidem, id eſt, ad perſuadendum; ut, *ſi velis fidem facere Rhetoricam eſſe expetendam, invenias, quod ſit ars benè dicendi*. Cicero in partit.

Quotuplicia ſunt Argumenta? ℞. Triplicia: alia certa,

certa, alia probabilia, alia dubia. *Quintil. lib. 5. cap. 10.*

Quænam argumenta ſunt certa? ℞. *Primò*, quæ ſenſibus percipiuntur; ut quæ videmus, audimus. *Secundò*, quæ communi hominum opinione ſunt comprobata; ut, *afficiendos eſſe honore parentes*. *Tertiò*, quæ legibus cauta ſunt, aut in mores recepta. *Quartò*, quæ ita probata ſunt, ut his ipſe adverſarius non contradicat.

Quænam argumenta ſunt probabilia? ℞. *Primò*, Ea, quæ ferè ſemper accidunt (& dicuntur firmiſſima) ut, *liberos à parentibus amari*. *Secundò*, Ea, quæ communi æſtimatione propè certa ſunt (& dicuntur propenſiora) ut, *eum, qui rectè valet, in craſtinum perventurum*. *Tertiò*, Ea, quæ ſimplicem aliquam ſpeciem habent veritatis (& dicuntur non repugnantia) ut, *in domo furtum factum ab eo, qui domi fuit. Quintil. ibid.*

Quænam argumenta ſunt dubia? ℞. Quæ ambiguam faciunt fidem. Verùm ad probandum id, quod eſt dubium, id, quod probabile eſt, poteſt adhiberi: v. g. ſit dubium an omnes Catilinæ ſocii conjurârint, ſumetur illud, quod probabile eſt, *homines, æris alieni magnitudine oppreſſos, eos denique egentes & ſumptuoſos, facilè adduci, ut conjurent.* Idem.

Unde ſumuntur argumenta? ℞. Ex locis oratoriis, quos appellat Cicero argumentorum ſedes in quibus latent, & ex quibus ſunt petenda. *Cicero in Top. in partit.*

Quare ſi vis in dicendo excellere, habe hos locos in promptu: Deinde ubi res ad dicendum proponetur, inſpice diligenter, & cum judicio ſelige: neque enim ſemper, nec in omnibus cauſis, nec ex iiſdem locis eadem argumentorum momenta ſunt. *Ariſtot. lib. 2. cap. 24. Quintil. loco citato.*

Quotuplex eſt Locus? ℞. Duplex: Intrinſecus, ſeu cum re conjunctus; & Extrinſecus, ſeu remotus, fortuítque aſſumptus.

Quot ſunt Loci Intrinſeci? ℞. Quindecim: Definitio, Enumeratio partium, Notatio, Conjugata, Genus, Forma, Similitudo, Diſſimilitudo, Comparatio, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, Cauſæ, Effecta. *Idem ibid.*

Quot ſunt Loci Extrinſeci? ℞. Sex: Præjudicia, Fama, Tabulæ, Juſjurandum, Tormenta, Teſtes.

ARTICULUS I.

Definitio.

Quid eſt Definitio? ℟. Eſt oratio, qua quid ſit res, explicatur. *Cicero in Topic.*

Quis eſt modus aliquid definiendi? ℟. Sumendum eſt aliquid definito commune cum aliis rebus: deinde aliquid ipſi particulare: v. g. *Rhetorica eſt ars benè dicendi*. Ars enim eſt aliquid commune Rhetoricæ cum aliis ſcientiis: benè dicendi verò in particulari, ſolius eſt Rhetoricæ: ſic gloria definitur *eſſe clara cum laude notitia*. Agricola lib. 1. cap. 6.

Quotuplex eſt definitio? ℟. Duplex: alia propria, quæ ad Philoſophos pertinet, ex genere & differentia: v. g. *Homo eſt animal rationis particeps*.

Alia impropria, quæ Oratorum eſt deſcriptio, daturque.

I. Vel per cauſas: ut, *Homo eſt animal à Deo procreatum ad beatitudinem, ex mortali corpore, ratione præditum*.

II. Vel per proprietates, & accidentia: ut, *Canis eſt animal, cujus eſt fida cuſtodia, amans dominorum adulatio, odium in externos, incredibilis ad investigandum ſagacitas narium, alacritas in venando, &c.*

III. Vel per effecta: ut, *Sol efficit diem luce diffuſa, temporis moderatur, & calore ſuo terræ frugibus maturitatem adfert*.

IV. Vel per negationem & affirmationem: ut, primùm dicatur quod nòn eſt res, & per ironiam rejiciatur: deinde vera rei natura afferatur. *Sic eleganter Cicero, pro Domo ſua definit populum Rom. & primò docet quid non ſit populus.* Antu populum Rom. eſſe illum putas; qui conſtat, ex iis, qui mercede conducuntur? qui impelluntur, ut vim afferant Magiſtratibus? ut obſideant Senatum? optent quotidie cędem, incendia, rapinas? *Tum per ironiam*: O ſpeciem dignitatemque populi Rom. quàm Reges, quam nationes exteræ, quam gentes ultimæ pertimeſcunt, multitudinem hominum ex ſervis conductis, ex facinoroſis, ex egentibus conflatam. *Tandem ſubjicit quid ſit populus*. Ille, ille populus eſt dominus Regum, victor atque imperator omnium gentium. *Ita II. in Rullum definit popularem, & conſulem, contra Piſonem*. Ego conſulem eſſe putem, qui ſenatum in rep. eſſe non puta-

putavit? & ſine eo conſilio conſulem numerum, ſine quo Roma ne Reges quidem eſſe potuerunt? qui prædones igitur, ſiquidem vos Conſules? qui latrones, qui hoſtes, qui proditores nominabuntur? Magnum nomen eſt, magna dignitas, magna majeſtas Conſulis: non capiunt anguſtiæ pectoris tui, non recipit levitas iſta, non egeſtas animi, non infirmitas ingenii ſuſtinet, non inſolentia rerum ſecundarum tantam perſonam, tam gravem, tam ſeveram. (*omitto prolixiorem ironiam.*) Animo conſulem eſſe oportet, conſilio, fide, gravitate, vigilantiâ, toto denique munére conſulatûs.

Nos ſtudioſum adoleſcentem, amicum, regem, & quidlibet definire poſſumus ad normam horum exemplorum.

ARTICULUS II.

Notatio, Conjugata.

QUid eſt Notatio ſeu Etymologia? R̸. Eſt oratio, quæ verborum originem aut vim explicat: ut, *Senatus à ſenibus dicitur. Conſul eſt, qui conſulit patriæ: Non igitur Piſo conſul, qui eam evertit.* Cicero in Topic. Quint. lib. 5. c. 10. Agricola lib. 2. c. 22.

Quando Orator hoc præſertim loco utitur? R̸. Cùm in nomine aliquo laudem, aut dedecus quærit. Ita in nomen Verris ſæpè jocatus eſt Cicero, quaſi ſic dictus eſſet, quòd omnia verreret, hoc eſt, nihil reliqui faceret, homo furax. Et pro Roſcio Amer. num. 124. *Venio nunc*, inquit, *ad illud nomen aureum Chryſogoni*, hunc ex nomine inſimulans avaritiæ.

Quid ſunt Conjugata? R̸. Sunt ea, quæ orta ab uno variè commutantur; ſeu terminantur: ut pius, piè, pietas. Si pietati ſumma tribuenda laus eſt, debitis moverí, cùm Q. Metellum tam piè lugere videatis, *Terent.* Homo ſum, humani à me nihil alienum puto. *Inſigniter Cicero pro Marcello. nu. 12.* Et cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jam antè æquitate, & miſericordia viceras; hodierno verò die te ipſum viciſti. Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio. Ipſam victoriam viciſſe videris, cùm ea ipſa, quæ illa erat adepta, victis remiſiſti: nam cùm ipſius victoriæ conditione jure omnes victi occidiſſemus, clementiæ tuæ judicio conſervati ſumus: Rectè igitur unus invictus es, à quo etiam ipſius victoriæ conditio viſque devicta eſt.

ARTICULUS III.

Enumeratio partium.

QUid eſt Enumeratio partium? ℞. Eſt Oratio, qua totum diſtribuitur in ſuas partes; vel ſubiectivas, & eſſentiales, ut genus v. g. virtus in prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam; vel integrantes, ut totum integrum v. g. domus in tectum, parietes, pavimentum. Corpus in caput, pedes, manus. Populus in ſenes, viros, feminas, pueros. Hoc totum non niſi dicitur de partibus ſimul ſumptis: ut, tectum, parietes, pavimentum ſunt domus. Alterum de ſingulis, ut, prudentia eſt virtus.

Quotupliciter fit argumentum ab Enumeratione partium? ℞. Dupliciter:

I. Si affirmatis omnibus, aut primariis partibus, affirmatur totum: ut, *In Cn. Pompejo fuit ſcientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas, celeritas, innocentia, temperantia, fides, facilitas, ingenium, humanitas: Igitur omnis virtus imperatoria.*

II. Si negatis præcipuis partibus, aut una primaria, negatur totum: ut, *Non eſt corpus: Igitur non homo. Non eſt tectum: Igitur non domus. Roma cùm pulſus eſt Tullius, non erat in Repub. Conſul, non Senatus, non conſenſus populi liberi, non mos patrius, non juris & aquitatis ratio: Igitur non erat tum illa civitas.*

ARTICULUS IV.

Genus, Forma.

QUid eſt genus? ℞. Genus eſt, quod ſub ſe duas aut plures partes, ſeu formas & ſpecies complectitur: ut, *virtus prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam*. Cic. de Orat.

Fac argumentum à genere. ℞. *Virtutis laus omnis in actione conſiſtit: Prudentia igitur laus omnis in actione conſiſtit. Omnibus artibus inſtructus eſt: Igitur & Rhetorica arte.*

Quis eſt frequens hujus loci apud Rhetores uſus? ℞. Quando hypotheſis, hoc eſt, ſpecies ſeu forma, ad theſim ſeu ad genus transfertur. Nam Orator excellens à propriis perſonis, locis, temporibus, & circumſtantiis ſemper, ſi poteſt, avocat controverſiam,

& ad

& ad univerſi generis vim explicandam traducit. Ita Cicero pro Marcello, *multa in genere de clementia virtute prædicat, ut laudet Cæſarem ob reſtitutum Marcellum, ſimulque Senatum.*

Quid eſt Forma? ℞. Eſt pars generi ſubjecta, ut patet ex dictis.

Fac argumentum à forma. ℞. *Eſt pietas in illo adoleſcente: Ergo & virtus.*

ARTICULUS V.

Similitudo, Diſſimilitudo.

QUid eſt Similitudo? ℞. Eſt oratio ſimilem inter res diſtinctas affectionem declarans. Sic ægrotus, & avarus, licet diſtincti, in hac ratione ſeu affectione dicuntur convenire, quòd juſtum non habeant, hic laudis, ille cibi. *Quintil. lib.* 5. *cap.* 10.

Quomodo ſumitur argumentum ab hoc loco? ℞. *In corpore ſi ejuſmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, uti ac ſecari patimur membrorum aliquod potiùs, quàm totum corpus intereat: ſic in Reipub. corpore, ut totum ſalvum ſit, quidquid eſt peſtiferum, amputatur.* Et libro Epiſt. 9. *Non facilè adjudicatur amor verus, & fictus, niſi aliquod incidat ejuſmodi tempus, ut quaſi aurum igne, ſic benevolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit.*

Quanquam non tam probat ſimilitudo, quàm ornat, eàque, quòd rem oculis ſubjiciat, mirificè capitur imperita multitudo.

Præclarè Agricola *lib.* 1. *cap.* 25. omnium locorum, è quibus ducuntur argumenta, nulli ferè minus eſt virium contra renitentem auditorem, quàm ſimilitudini: ad eum verò, qui ſponte ſequitur, docendumque ſe præbet, accommodatior nullus eſt. Aperit enim rem (ſi rectè adhibeatur) & quandam ejus imaginem ſubjicit animo: ut cùm aſſentiendi neceſſitatem non afferat, afferat tacitum diſſentiendi pudorem. Quapropter ad probandum non ita crebrò, ad exponendum illuſtrandumque ſæpè ab Oratoribus, à Poëtis ſæpius, adhibetur.

Quid eſt Diſſimilitudo? ℞. Eſt oratio explicans affectionem diſſimilem rerum diverſarum: ut, *Si barbarorum eſt in diem vivere, noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent*, Cicero Philipp. 3. *Certus autem dies, non ut ſacrificii, ſic conſilii expectari ſolet.* Eleganter pro Muræna *Num.* 22. juris-conſultum Sulpi-

tium

ium Imperatori diſſimilem probat, ex diſſimili utriuſque ſtudio. *Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas; ille, ut quò intendit maturè cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat. Tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit. Tu caves ne tui conſultores, ille ne urbes, aut caſtra capiantur. Ille tenet, & ſcit, ut hoſtium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus; tu in regendis.*

ARTICULUS VI.

Comparatio.

QUid eſt comparatio? ℟. Cum Agricola *lib.* 1. *cap.* 4. Eſt oratio, quâ duo, vel plura in tertio aliquo conferuntur, quod commune ſit eis: ut *Catoni licuit ſequi bellum civile: Ergo & Ciceroni licebit ſequi*: commune eſt ambobus ſequi bellum civile.

Differt Comparatio à ſimilitudine, quòd ſimilitudo verſetur in qualitate, Comparatio in quantitate: dum enim comparamus, aut plus, aut minus, aut par ineſſe alicui dicimus. Exemplum eſt ſpecies quædam comparationis.

Quotupliciter tractatur hic locus? ℟. Tripliciter; à Comparatione Majorum, vel Minorum, vel Parium.

Quomodo ducitur argumentum à Comparatione majorum ad minora? ℟. Cùm contendimus, ut id, quod in re majori valet, valeat etiam in minori: ſeu quando minus probabile concluditur ex magis probabili. (Nam Rhetores per majus intelligunt, quod eſt probabile; per minus, quod eſt minus probabile; per par, quod eſt pariter probabile) v. g. *Quinque legiones hoſtilem exercitum vincere non potuerunt: igitur duæ non poterunt. Hector, ſumma licet virtute, animique, & corporis fortitudine vir, Trojam à Græcorum armis non defendit; mollis & effœminatus Paris tuebitur? Quem Milo cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? Quem jure, quem impunè non eſt auſus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere?*

Quomodo ducitur argumentum à Comparatione minorum ad majora? ℟. Cùm contendimus, ut id, quod in re minori valet, valeat etiam in majori: ſeu quando magis probabile concluditur ex minus probabili; *ut Cicero, pro lege Manilia*: Majores noſtri ſæpè mercatoribus ac naviculatoribus injurioſiùs tractatis bella geſſerunt:

vos

vos tot civium Rom. millibus, uno nuncio atque uno tempore necatis, quo tandèm animo eſſe debitis? ſi mortuus Clodius incendit curiam, & omnia permiſcet; quantò magis ſi vivus eſſet prætor? Multi populi alienum poëtam Homerum, & mortuum expetierunt: Romani Archiam civem ſuum, & vivum non repetent?

Quomodo ducitur argumentum à Comparatione parium? ℞. Cùm contendimus parium par eſſe judicium, & quod in uno valet, admitti in alio: ut, *Quæ pœna adverſus interfectorem patris juſta eſt, eadem adverſus matris. Neque enim ratio afferri poteſt, cur ſi cuiquam novo civi poterit adimi civitas, non omnibus Patriciis, omnibus antiquiſſimis civibus poſſit. Jure poteſt Hortenſius, aliique Syllam defendere: Igitur poteſt & Cicero.*

In his animadverte.

I. Comparationem debere fieri inter res ordinis ejuſdem; quare fallere hanc comparationem: *Poteſt Joannes condere amplam domum: Ergo & pöëma exiguum.*

Secundò, animadverte minori affirmato, rectè majus affirmari, ſeu concludi: ut, *diſcipulus iſtud percipit: Ergo & profeſſor.* minori autem negato, non rectè majus negari: ut, *Duæ legiones hoſtem vincere non poſſunt: Ergo neque quatuor poſſunt.* item majori affirmato non affirmari minus: ut, *poteſt vir ferre pondus centum librarum: Ergo & puer.* & major negato, minus negari: ut, *gigas non eſt altus decem pedes, ergo nec pigmeus.*

ARTICULUS VII.

Repugnantia.

QUid ſunt Repugnantia? ℞. Sunt quæ de eodem ſimul verè affirmari non poſſunt. *Ariſtoteles, Cicero in Topic.*

Quotuplicia ſunt Repugnantia? ℞. Duplicia: alia diſparata, quæ non præcisè repugnant, id eſt, quę non ſic inter ſe repugnant, quin alteri magis, aut æquè repugnent; ut amare, & lædere: nam amare & odiiſſe magis, amare autem & convitiari æque repugnant inter ſe, quàm amare & lædere. argum. *Amat illum: Igitur non convitiis inſectatus eſt. Marcus Cælius fuit deditus ſtudiis: Ergò non voluptatibus Hortenſius non erat adverſarius Ciceronis, aut obtrectator: ſemper eſt enim alter ab altero aditus, & communicando & monendo, & favendo.*

Repu-

Repugnantia ſunt, eſſe adverſarios, & ſe invicem juvare, communicare, &c. Alia ſunt oppoſita, quæ præcisè repugnant: ut, *Virtus*, *& vitium*; *Frigus & calor*, *Amare & odiiſſe*.

Quotuplicia ſunt oppoſita? ℞. Quadruplicia: adverſa ſeu contraria, privantia, relata, negantia. *Agricola lib. 1. cap. 26.*

Quid ſunt adverſa ſeu contraria? ℞. Sunt quæ ſub eodem genere poſita plurimum differunt: ut, *virtus & vitium*, *bellum pax*, *ſapientia ſtultitia*.

Quid ſunt privantia? ℞. Sunt habitus, ſeu forma, & ejus privatio: ut, *vita & mors*, *lux & tenebræ*, *ſcientia & inſcitia*.

Quid ſunt relata? ℞. ſunt quorum natura in hoc poſita eſt, ut ad aliud referantur, neque unum ſine altero poſſit intelligi: ut, *pater & filius*, *dux & miles*, *docere & diſcere*, neque enim poteſt intelligi pater ſine filio, nec filius ſine patre, nec amicus ſine amico.

Quid ſunt negantia, ſeu contradicentia? ℞. Sunt quorum unum negat alterum: ut, ſapere & non ſapere. Probus non probus. Joannes occidit Petrum. Joannes non occidit Petrum. Eſt enim contradictio non tantùm in terminis ſimplicibus, ſed & maximè in propoſitionibus.

Quomodo argumentamur ab adverſis. ℞. *Bellum eſt nobis perniciosſum*, *pax igitur utilis*. *Amplectenda frugalitas*, *fugienda igitur luxuria* (contraria enim contrariorum ſunt conſequentia: Addo etiam exornativa: ita vitii turpitudo ex oppoſitæ virtutis deſcriptione, & dignitate eluceſcit.) Cicero in Topicis: *Si ſtultitiam fugimus*, *ſapientiam ſequamur*; *& bonitatem*, *ſi malitiam*. Quintilianus, lib. 5. cap. 10. *Si malorum cauſa bellum eſt*, *erit emendatio pax*.

Quomodo argumentamur à privantibus (℞. *Vt us eſt mortem patris: reddidiſſet Igitur vitam*, *ſi potuiſſet*. *Si inſipientis eſt propoſitum ſuum mordicus citra rationem tueri*, *ſapientis erit conſilium ratione interdum permutare*. Cicero lib. 4. de finibus. *Bonum liberi*, *miſera orbitas*: *Bonum patria*, *miſerum exilium*: *Bonum valetudo*, *miſer morbus*: *Bonum integritas corpus*, *miſera debilitas*: *Bonum incolumis acies*, *miſera cæcitas*.

Quomodo argumentamur à relatis? ℞. *Dux adit pericula*, *cur miles non adiret*? *Honeſtum eſt litteras docere*: *Ergo & diſcere*. *Si imperatoris eſt præcipere*, *militis eſt obtemperare*.

Quo-

Quomodo argumentamur à negantibus? ℞. Quem græcè & latinè doctum videt, iſtum eſſe indoctum dicis? *Pro Murana* num. 65. *elegans eſt Academici Ciceronis, & Catonis ſtoici dialogiſmus, in quo ſunt plura negantia*: Nihil ignoveris; imò aliquid, non omnia. Nihil gratiæ cauſa feceris; imò ne reſiſtito gratiæ, cùm officium & fides poſtulabit. Miſericordia commotus ne ſis, etiam in diſſolvenda ſeveritate; ſed tamen eſt laus aliqua humanitatis. In ſententia permaneto: enim verò niſi ſententia alia vicerit melius.

ARTICULUS VIII.

Adjuncta.

QUid ſunt adjuncta perſonarum, & rerum? ℞. Sunt ea, quæ rem circumſtant, probabiliter tantùm, non neceſſariè, uti antecedentia, & conſequentia. *Cicero in Topic.*

A Quintiliano enumerantur hæc genus, natio, patria, ſexus, ætas, educatio, habitus corporis, fortuna, conditio, natura animi, victus, ſtudia, affectus, locus, tempus, occaſio, caſus, facultas inſtrumentum, modus, ſignum. Igitur ampliſſimè patent adjuncta, & quòd Orator perſæpè in iis verſatur, neceſſaria eſt omninò ac utilis hujus loci cognitio: quare hic nobis licet paulò eſſe prolixioribus. *Quintil. Ibid.*

GENUS.

Quomodo ſumi poteſt argumentum à genere? ℞. Similes parentibus ac majoribus ſuus filii plerumque creduntur: Hinc nonnunquam ad laudandum, vel vituperandum oratori cauſæ fluunt. *Quintil. Ibid. Cicero pro Sextio*: Parente publ. Sextius eſt natus, judices, homine, (ut plerique meminiſtis) & ſapiente, & ſancto, & ſevero. *Et pro Rabirio*. Non modò in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius, ſed etiam in devotione vita, & in ipſo genere mortis imitatus eſt P. Decium filius. *Verr. VII. Num.* 31. Inter ejuſmodi viros, ac mulieres adulta ætate filius verſabatur: ut eum etiamſi natura à parentis ſimilitudine abriperet, conſuetudo tamen, ac diſciplina patri ſimilem eſſe cogeret.

NA-

NATIO PATRIA.

Quomodo ſumi poteſt argumentum à natione, & patria? R. Singulis gentibus proprii mores ſunt: nec idem in Barbaro, Romano, Græco, probabile eſt. *Quintil ibid.* Similiter etiam civitatem leges, inſtituta, opiniones habent differentiam. Quare ſic argumentum variè ſumi poteſt à natione, & patria. Romanus eſt? Igitur bellicoſus. Græcus? levis. Barbarus? immanis. Athenienſis? fidus. Pœnus? perfidia nobilis. Creta? mendax. Lacædemonius? fur. *Cicero Verr. VII.* civis Romanus eſt: Ergo non eſt flagris cædendus. *Pro Flac.* Teſtes ſunt Aſiatici, & Græci: Igitur non his credendum.

SEXUS.

Quomodo ſumi poteſt argumentum à ſexu? R. Non idem in viro æquè ac muliere, aut probabile, aut laudabile eſt; & contra latrocinium faciliùs in viro, veneficium in fœmina reperies, & alia. unde argumenteris. *Quintil. ibid.* Virorum hoc animos vulnerare poſſet. quid mulierculàrum cenſetis, quas etiam parva movent? *Cicero pro Sextio*: Mortem quam etiam virgines, Athenienſis Regis, opinor, Erychtæi filiæ, pro patria contempſiſſe dicuntur: ego vir conſularis timerem? *Juvenalis Satyra 13.* Vindictâ nemo magis gaudet, quàm femina; Ergo vos, juvenes animos geritis muliebres, ſi ulciſcimini. *Juno apud Virgilium*: Duo dii fœminam unam dolo viciſtis, quid eſt ergo cur gloriemini?

ÆTAS.

Quomodo ſumi poteſt argumentum ab ætate? R. Aliud aliis annis convenit, ut Horatius oſtendit in Arte: Puer an adoleſcens, natu grandior an ſenex, quæritur. Quintil. ibid. *Cicero pro leg. Manilia num. 61.* Quid tam novum, quàm adoleſcentulum, privatum, exercitum difficili Reip. tempore conficere? confecit Pompeius. Huic præeſſe: præfuit. Rem optimè ductu ſuo gerere: geſſit. Quid tam præter conſuetudinem, quàm homini peradoleſcenti, cujus à ſenatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium, atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea adminiſtrandum? fuit in his provinciis ſingulari innocentia,

centia, gravitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit. *In Phil.* Etenim, ſi abhinc annos propè viginti, hoc ipſo in templo negavi poſſe mortem immaturam eſſe conſulari: quantò verius nunc negabo ſeni? *Pro Roſc. parricidii crimen ab ætate refellit*. Patrem occidit Sex. Roſcius, qui homo? adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus: annos natus magis quadraginta, vetus videlicet ſicarius, homo audax, & ſæpè in cæde verſatus? at hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis.

EDUCATIO DISCIPLINA.

Quomodo ſumi poteſt argumentum ab educatione, & diſciplina? ℞. Quoniam multum refert à quibus, & quo quiſque modo ſit inſtitutus, ex educatione diſciplinaque, ex ſodalitio, multæ trahuntur ſuſpiciones, & argumenta. *Quintil. ibid. Sic apud Ciceronem*. Navius facetus ſcurra, quæſtui addictus, & Panurgus in re comica benè inſtructus à Magiſtro Roſcio. *Contra*. Verres corrupit filium & à parente redarguitur. *Verr. 7. Rum. 135.*

HABITUS CORPORIS.

Quomodo ſumi poteſt argumentum ab habitu corporis? ℞. Habitus corporis, qui ſermo quidam totius mentis eſt, frequenter in argumentum probitatis, aut improbitatis adducitur. *Cicero pro Sex. Roſcio*: Nonne ipſum caput & ſupercilia illa penitùs abraſa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? quin idcircò eò eſt capite & ſuperciliis ſemper raſis, ne ullum pilum boni viri habere dicatur. *Idem in Piſonem*. Jamne vides, bellua, jamne ſentis, quæ ſit hominum querela frontis tuæ? nemo queritur, Syrum neſcio neſcio quem de grege noviciorum factum eſse conſulem: non enim nos iſte color ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, ſuper cilia, frons, vultus deniq; totus in errorē homines impulit. Divus Ambroſius lib. de Virg. *Nihil* inquit, *in oculis MARIÆ torvum, nihil in verbis procax, nihil in actis inverecundum: non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis*. Martialis:

Crine uber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus:
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

FOR-

FORTUNA, CONDITIO.

Quomodo ſumi poteſt argumentum à Fortuna, & Conditione? Reſpondeo cum quintiliano non idem credibile eſt in divite, ac paupere; claro ac obſcuro; ruſtico, ac urbano; propinquis, amicis, clientibus, abundante, & his omnibus deſtituto *Quintilianus ibid.*

Præterea eſt laus tuliſſe caſus ſapienter adverſos, non extuliſſe ſe in poteſtate; non fuiſſe inſolentem in pecunia, genus ſuumm nobilitaſſe, &c. *Sic Cicero pro Quinctio ſtatim in Exordio, & poſtea in Peroratione*, conqueritur de gratia Navii apud Principes civitatis, quâ ille abutitur contra ſolitudinem atque inopiam P. Quninctii. *Sic pro Sex. Roſcio num.*133. eleganter inſectatur inſolentis Chryſogoni. Syllæ liberti, potentiam à prædiis, domo, ſupellectile, ſervis, luxuria, ſumptibus, habitu, ſuperbia, & avaritia, quâ turpiter vir nobilis in fortunas boni ruſtici involat. *Sic pro Milone. num.* 93. in gravi ac difficili tempore vultum ſemper eundem, & infractum animum ipſius commendat. *Sic pro lege Manilia*. Cn. Pompeii moderationem in proſperis rebus. *Sic pro Marcello*, C. Cæſaris clementiam in victoria extollit.

NATURA ANIMI.

Quomodo ſumi poteſt argumentum ab animi Naturâ. ℞. Avaritia, iracundia, miſericordia, crudelitas, ſeveritas, aliaque his ſimilia afferunt fidem frequenter, aut detrahunt, *Quintilianus ibid.* Huc refer acutus ne ſit quis, an hebetior; memor an oblivioſus; comis, facetus, pudens, officioſus, patiens, prudens, an contrà.

In Piſonem: Ille gurges atque helluo natus abdomini ſuo, non laudi, atque gloriæ. *Pro Dejotaro*: Dii te perdant, fugitive, ita non modò nequam & improbus, ſed & fatuus, & amans es. *In Verrem VII.* Hominem ſine re, ſine ſpe, ſine fide, ſine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum ire patiamini abſolutum? *Præclarè pro Cælio.* num. 12. *Catilinæ naturam multiplicem ac verſatilem deſcribit*: Habuit ille, ſicuti meminiſſe vos arbitror, permulta maximarum non expreſſa ſigna, ſed adumbrata, virtutum, *&c.*

VI-

VICTUS STUDIA.

Quomodo ſumi poteſt argumentum à Victu, & Studiis? ℞. Sicuti de victu luxurioſo an frugi, an ſordido quæritur, ſic de ſtudiis. Nam ruſticus, forenſis, negotiator, miles, navigator, medicus, aliud atque aliud efficiunt. *Cicero pro Roſcio*. Qua in re prętereo illud, quod mihi maximo argumento ad hujus innocentiam eſſe poterat in victu arido, in hac horrida iucultaque vita maleficia gigni non ſolere. *Tuſcul.* 5. *de Dionyſio Tyranno*: Muſicorum verò, *inquit*, perſtudioſum accepimus, poëtam etiam tragicum, quàm bonum, nihil ad rem; in hoc enim genere neſcio quo pacto magis, quàm in aliis ſuum cuique pulchrum.

AFFECTUS.

Quomodo ſumi poteſt argumentum ab Affectibus? ℞. Affectus ſunt amor, ira, gaudium, triſtitia, &c. *Quint. ibid.* quæ ſuo loco explicabimus *Virgilius Eclog.*

Credimus, an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?

Cicero pro Murana: Vidéſne tu illum triſtem, demiſſum? jacet, diffidit, abjecit haſtam, *De Haruſpicum Reſponſis*: Nihil feci iratus, nihil impotenti animo, nihil non diu conſideratum, ac multò antè meditatum, &c. *Pro Cluentio in peroratione*: Veſtram, judices, æquitatem & manſuetudinem una mater oppugnat: at quæ matre? quam cæcam crudelitate & ſcelere ferri videtis: cujus cupiditatem nulla unquam turpitudo retardavit: quæ vitiis animi in deterrimas partes jura hominum convertit omnia: cujus ea ſtultitia eſt, ut eam nemo hominem; ea vis, ut nemo feminam; eà crudelitas, ut nemo matrem appellare poſſet: eò jam denique adducta eſt, ut ſibi præter formam, nihil ad ſimilitudinem hominis reſervârit. Quare, judices, ſi ſcelus odiſtis, prohibete auditum matris à filii ſanguine.

LOCUS.

Quomodo ſumi poteſt argumentum à loco? ℞. Spectandæ ſunt omnes loci differentiæ, publici, ſacri, profani opportuni, remoti, &c. *Quint. ibid.* ut,

furtum factum ſi ſit in templo, ſi in foro interemptus quiſpiam, ſi in ſua domo. Verres ab æde Caſtoris latrocinia incepit III. Verr. Num. 125.

Virg. 2. Æneidos.

Fatale aggreſſi ſacrato avellere templo.
Palladium, cæſis ſumma cuſtodibus arcis,
Corripuere ſacram effigiem: manibuſque cruentis
Virgineas auſi diva contingere vittas.

Cic. in V. Philipp. *Illud verò deterrimum auditu, non modò aſpectu in cella Concordia collocari armatos, è templo carcerem fieri.* objectum eſt Miloni, quòd Clodium in monumentis majorum ſuorum occidiſſet: ſed Cicero hunc locum pulchrè excutit in Miloniana. num. 54. *Videamus nunc id, quod caput eſt: locus ad inſidias illeipſe, ubi congreſſi ſunt, utri tandem fuerit aptior, &c.* Rurſus Virgilius.

O fælix una ante alias Priameia virgo,
Hoſtilem ad tumulum Troia ſub mœnibus altis
Juſſa mori.

TEMPUS.

Quomodo ſumi poteſt argumentum à tempore? ℞. Valet hora, dies, hebdomada, menſis, annus: An hyeme, die feſto, olim, nuper, diu aliquid geſtum ſit. *Quintil. ibid. Cic. pro Quinct.* ſeptingenta millia paſſuum vis eſſe decurſa Biduo dic, negas? ante igitur miſiſti? malo. ſi enim illud diceres, improbè mentiri viderere. *Pro Milone*? Cujus jam pridiem teſtimonio Clodius eadem hora Interamnæ fuerit, & Romæ. *ibidem*. Videt nunc illum egredientem è vita ſub tò. cur veſperi? quid neceſſe eſt tardè? qui convenit, præſertim id temporis: *Pro Lege Manilia*, Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longè lateque diſperſum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hyeme apparuit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.

OCCASIO.

Quomodo ſumi poteſt argumentum ab occaſione? ℞. Occaſio eſt pars temporis habens in ſe alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem. *Quintil ibid. Cic. pro lege Manilia.* Quod ſi Romæ, Cn. Pompejus privatus eſſet hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat diligendus, atque mittendus:

Digitized by Google

tendus: nunc cùm ad cæteras ſummas utilitates hæc quoque opportunitas adjungatur, ut in hic ipſis locis habeat exercitum, quid expectamus, aut cur non ducibus diis immortalibus eidem, cui cætera ſumma cum ſalute Reipub. commiſſa ſunt, hoc quoque bellum regium committimus? *Idem II. Verr. Num.* 42. oſtendit, damnato Verre tolli poſſe infamiam judiciorum. *& Philip. III. num.* 32. oblatam occaſionem vincendi Antonii.

CASUS.

Quomodo ſumi poteſt argumentum à caſu? ℞. Caſus etiam præſtat argumentis locum, ut ſi dicam, *melior Dux Scipio, quàm Annibal; vicit enim Annibalem. Bonus gubernator nunquam fecit naufragium. Bonus agricola magnos ſuſtulit fructus*. Quintil. ibid.

FACULTAS.

Quomodi ſumi poteſt argumentum à facultate? ℞. Facultates ſunt aut quibus faciliùs fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt. *Quintil. ibid.* ut, credibilius eſt occiſos à pluribus pauciores, à firmioribus imbecilliores, à vigilantibus dormientes, à præparatis inopinantes, quorum contraria in diverſum valent. Hinc illa apud Ciceronem conjectura: *Inſidiatus eſt Clodius Miloni, non Milo Clodio: ille cum ſervis robuſtis, hic cum mulierum comitatu; ille in equo, hic in rheda, &c.* num. 55. Pro Roſcio Americano num. 74. *Negat Cicero fuiſſe facultatem Roſcio occidendi ſuum patrem: vel enim occidiſſet per ſe, vel per alios ſive liberos, ſive ſervos: Neutrum: ergo.* Contra num. 92. *Quinque indiciis facultas & cædes Sextii Roſcii in adverſarios conjicitur: Videamus nunc ecqua facultas &c.*

INSTRUMENTUM.

Quomodo ſumi poteſt argumentum ab inſtrumento? ℞. Facultati licet inſtrumenlum conjungere: & ex inſtrumento aliquando etiam ſigna naſcuntur: ut, ſpiculum in corpore inventum, *Quintil. ibid.* Cicero pro Milone: *Quamobrem ſi cruentum gladium tenens clamaret Titius Annius: adeſte, quæſo, atque audite, cives, P. Clodium interfeci: ejus furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis frænare poteramus, hoc ferro, & hac dextra à cervicibus repuli*, &c.

Ibid. *Cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum facibus ad Caſtoris ades, cum gladiis toto foro velitarunt*. Poëta. *Obvius Æneas clypeoque inſurgit & haſta*.

MODUS.

Quomodo ſumi poteſt argumentum à modo? ℟. Modus eſt in quo quemadmodum, & quo animo factum ſit, quæritur: ſi graviter, ſi contumelioſè, clám, palàm, vi, perſuaſione, inſcitia, caſu, neceſſitate. *Quintil. ibid.* Cicero pro Milone: *Tu Clodii cruentum cadaver ejeciſti domo? tu in publicum ejeciſti? tu ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, infeliciſſimis lignis ſemiuſtulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti?* Virgil. Æneid. 8.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis.
Componens manibuſque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus, & ſanie, taboque fluentes,
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

Idem: *Altaria ad ipſa trementem traxit,*
Et in multo lapſantem ſanguine nati,
Implicuitque comam læva, dextraque coruſcum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.

Sunt hæ hypotypoſes, quibus abundant Poëtæ. Cicero pro Domo ſua contendit, *legem Clodiam de exilio ſuo eſſe irritam, quia per vim lata fuit: nam lapidatio, & hominum conſcriptio, & comportatio armorum in ædem Caſtoris, & provinciarum venditio duobus improbis conſulibus vim probant*. Num. 53.

SIGNUM.

Quomodo ſumi poteſt argumentum à ſigno? ℟. In partitionibus Cicero vocat conſequentia quædam ſigna præteriti, & quaſi impreſſa facti veſtigia, quæ quidem vel maximè ſuſpicionem movent, & ſunt quaſi tacita criminum teſtimonia: ut telum, ut veſtigium, ut cruor, ut deprehenſum aliquid, quod ablatum ereptúmve videatur, ut reſponſum inconſtanter, ut hæſitatum, ut titubatum, ut cum aliquo, & eo ipſo in loco viſus, in quo facinus peractum ſit, ut pallor, ut tremor, ut ſcriptum, aut obſignatum, aut depoſitum quidpiam. *Quintil. ibid.* Pro Milone: *Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſervus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat, extorta eſt confitenti ſica de manibus.*

Catil.

Catil. 3. Ac mihi quidem Quirites, cùm illa certiſſima ſunt viſa argumenta atque indicia ſceleris, tabella, ſigna, manus, denique uniuſcujuſque confeſſio; tum multò illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas: ſic enim obſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim nonnunquam inter ſe aſpiciebant, ut non jam ab aliis indicari, ſed ipſi à ſe viderentur. *Paulo antè:* Tum Cethegus recitatis litteris debilitatus, atque abjectus, conſcientia convictus reticuit. Introductus Statilius cognovit manum & ſignum ſuum. Oſtendi tabellas Lentulo, & quæſivi cognoſceretne ſignum; Annuit. eſt verò, inquam, ſignum quidem notum, imago avi tui, clariſſimi viri, qui amavit unicè patriam & cives ſuos: quæ quidem te à tanto ſcelere etiam muta revocare debuit.

ARTICULUS IX.

Antecedentia, & conſequentia.

QUid ſunt Antecedentia, & Conſequentia? R. Dicuntur à Cicerone, *Topic. cap.* 2. *& Ariſtot. de Rhet.* 5. quæ cum re neceſſario ſunt conjuncta, ut illa antecedant, hæc conſequantur. *Sic vulnus cordis mortem antecedit, arma bellum, culpa pœnam: pœna verò culpam ſequitur, bellum arma, mors vulnus cordis.*

Quanquam adverte quædam dici etiam antecedentia, quæ probabiliter tantùm, & non neceſſariò cum re conjunguntur; túmque pariter conſecutio eſt tantùm probabilis. v. g. *Flores edidit hac arbor: igitur probabile eſt fructus habituram.*

Fac argumentum ab antecedentibus. R. *Tu natus es homo: igitur moriere. Ille magni ſceleris eſt reus: graviter igitur à juſto judice plectetur.*

Ab antecedentibus argumentatur apud Terentium Davus, quo loco ſimulari ab hero filii nuptias colligit. Solitudo, (*inquit*), ante oſtium, & introire neminem video, exire neminem: in ædibus nihil ornati, nihil tumulti, &, per olera, & piſciculos minutos fert obolo in cœnam ſeni. *Adriæ Art.* 2. *ſcenas.* 1. Nam ubicumque veræ apparantur nuptiæ, ibi non ſolitudo, non ſilentium, ſed hominum conventus, ſtrepitus, tumultus. Cic. pro Moline *num.* 24. callida narratione oſtendit probabiles Clodii inſidias ab antecedentibus: *Primo*, Tranſtulit Clodius præturam, quam poterat, in ſequentem annum. *Secundò*, Invit competitores

Milonis, ne hic iſto anno, ſe prætore, eſſet Conſul. *Tertiò*, Quando illud impedire non potuit, Milonem ſtatuit occidere; id palam ſæpius profeſſus eſt. *Quartò*, Capit occaſionem itineris, cum multo comitatu ſervorum: *Quintò*, Locum pugnæ elegit aptum. ante fundum ſuum; atque à tergo Milonem adoratus eſt.

Fac argumentum à conſequentibus. ℞. Dies eſt: ergo ortus eſt ſol. Eſt fructuum copia: igitur & florum fuit. *Pulchrè Cicero* proponit Cæcilio difficultatem accuſandi Verrem à conſequentibus, præſertim à perſona Hortenſii. *Divinat. num.* 27. *& ſeqq. Item* Statutâ lege Agraria adventum decemvirorum. *II. Agrar. num.* 44. *Item pro domo ſua*; Mala, quæ ſequerentur, ſi quivis è Patricio Plebeius fieret. *Num.* 37.

ARTICULUS X.

Cauſa.

Quid eſt Cauſa? ℞. Cauſa eſt, unde effectus aliquis exiſtit.

Quot ſunt cauſæ? ℞. Ariſtoteles, quinque ſecuti ſunt eum, quatuor fecerunt: materiam, ex qua res eſt; formam, per quam eſt; efficientem, à qua fit; finem, propter quem fit. *lib.* 2. *Phyſica cap.* 3.

Quid eſt materia? Eſt id, ex quo aliquid fit, aut componitur. *Vt marmor eſt materia ſtatua, argumentum patera, corpus hominis.*

Quomodo argumentamur à materia? ℞. Corpus mortale eſt: igitur mens immortalis ipſi dominetur. Multa ſigna gemmis & auro cælata ſuſtulit: Verres Ergo Gravia furta commiſit.

Quid eſt forma? ℞. Eſt cauſa, per quam rem eſt id, quod eſt, & à cæteris rebus diſtinguitur. *Vt animus eſt forma hominis*: eſt enim cauſa cur homo ſit homo, & à cæteris rebus differat, ſic domus, ſic navis, ſic terræ, ſic ignis, cæterarumque rerum ſua forma eſt, vel naturalis, quæ à natura; vel artificialis, quæ ab arte proficiſcitur: hæcque poſita eſt in certa quadam figura externa.

Quomodo argumentamur à forma? ℞. Homini animus immortalis eſt: igitur æternitatem quærat.

Cicero 1. *offic.* Si conſiderare velimus, quæ ſit in hominis natura excellentia & dignitas, intelligemus, quàm ſit turpe diffluere mollitie, & delicatè ac molliter

liter vivere: quamque honeſtum ſit parcè, continenter, ſeverè, ſobriè, Rurſus Verres Dianæ ſtatuam apud Segeſtanos poſitam ab Africano, ſacrilegus abſtulit. *Verr. V. Num.* 72. *& alia multa ſimulacra pulcherrima Ibid.*

Quid eſt efficiens? ℟. Quæ ſua vi efficit, id cujus eſt cauſa. Eſt multiplex: alia procreans, *ut Deus, parentes*; alias conſervans, *ut lex, civitatem*; alia interimens, *ut morbus, intemperantia, propinatio veneni*: alia vel ſola, vel cum aliis efficiens, & ſuo motu, vel impulſu alterius: vel ex neceſſitate, vel ex caſu fortuito, &c. quarum omnium exempla ſubjecimus prima editione, nunc aliquot tantùm.

Quomodo argumentamur ab efficiente? ℟. Deus mundum condidit: ergo perfectum eſt opus. In repub. vigent leges: ergo ipſa durabit. *Pro Cluent. num.* 1. Oppianicus adoleſcens ex crudelitate & intemperantia eſt mortuus: ergo non propinato veneno. C. Cæſar ſolus victoriam ſui adeptus eſt: recte igitur unus invictus eſt, à quo etiam ipſius victoriæ conditio viſque devicta eſt. *Pro Marcello num.* 5. Ligarius, & multi alii errore, aut impulſu, aut fato Pompeium ſunt ſecuti; igitur excuſandi.

Quis eſt finis? ℟. Finis eſt cujus gratia aliquid fit, ut domûs finis eſt uſus, belli pax, hominis beata vita.

Quomodo argumentamur à fine? ℟. Homo eſt factus ad beatam vitam: non ergo ut gulam ſatiet, aut ſeſe ad res humiles abjiciat. *Cicero Philipp.* 7. Si pace volumus frui bellum gerendum eſt: ſi bellum omittimus pace nunquam fruemur. *Rurſus Philipp.* 8. Quæ cauſſa juſtior eſt belli gerendi, quàm ſervitutis depulſio? in qua etiamſi non ſit moleſtus dominus, tamen eſt poſſe ſi velit. *Pro Ligario Tuberonem urget à fine armorum contra Cæſarem ſuſceptorum*: Quid enim, Tubero, tuus ille deſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? &c. Speravit Verres pecuniâ ſe poſſe Ciceronem & judices corrumpere: igitur liberè furatus eſt. *II. Verr. num.* 4. Clodius multos habuit fines inſidiandi Miloni, nullos habuit Milo: igitur ille, non hinc eſt inſidiatus. *Pro Mil. Num.* 32.

ARTICULUS XI.

Effecta.

QUid ſunt Effecta? ℞. Sunt ea, quæ ſunt orta de cauſſis.

Quot ſunt Effectorum genera? ℞. Totidem ut cauſarum, quatuor: eſt enim ſuus effectus finis, & efficientis, & formæ, & materiæ.

Quomodo fit argumentum ab Effectis cauſæ efficientis? ℞. In bello Aſiatico agitur gloria populi Rom. agitur ſalus ſociorum, aguntur vectigalia maxima, aguntur fortuna multorum civium; ergo bellum Aſiaticum eſt genere ſuo grave & neceſſarium. *Pro lege Manil. num. 6. Agraria, II. num. 9.* Pace non modò ii, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta, atque agri lætari videntur: ergo quid tam potulare, quàm pax; &c. V. de fructum, & delectationem, & dignitatem Poëſeos, propter quam Archias civis Romanus, etiamſi non eſſet, aſciſcendus fuit. *Cicero de ſenectute:* Nulla capitalior peſtis, quam corporis voluptas, hominibus à natura data eſt Hinc patriæ proditiones, hinc Rerumpublicarum everſiones, &c.

Quomodo fit argumentum ab Effectis cauſæ finalis? ℞. Mavult Cicero in exilium ire, quàm ſe vi defendere: ergo conſervare amat Rempublicam, *Poſt reditum in Senat. num. 31.* Marius Scævola, & alii pro Repub. arma capiunt, multos labores ſuſtinent: igitur ſpectant immortalitatem gloria. *Pro Rabir. Num. 29.* Rex Delectum habet militum, legiones conſcribit: igitur bellum meditarur. Legit orationes Ciceronis: ergo ſtudet eloquentię. Socrates ad veſperam contentiùs ambulat: igitur quò meliùs canet, obſonat ambulando famem.

Quomodo fit argumentum ab Effectis cauſæ materialis? ℞. Corruptioni ſumus obnoxii: ergo componimur ex corpore. *Hinc Virgilius Georg.* 3. infert nihil nobis eſſe à corpore, niſi diuturnam mutationem & miſeriam.

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi.
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.

Quomodo fit argumentum ab Effectis cauſæ formalis? ℞. *Homo ex memoria rerum, & inventione, & celeritate motus, omnique; pulchritudine virtutum, Deum agnoſcit, laudat, &c. Igitur in hominis animo vim divinę mentis cognoſcito.* li. 1. Tuſc.

Ex

Ex his animadverte tum maximè fieri argumentum ab effectis cauſſarum, cùm colligimus ex effectis cauſas, earumque vim & præſtantiam. Nam Effecta ipſis cauſis ſunt notiora, ac propterea hic locus effectorum ſæpiùs uſurpatur ab Oratoribus, quàm locus à cauſis.

ARTICULUS XII.

Loci Extrinſeci.

LOci Extrinſeci variè à variis appellantur *Cicero In Topic. & partit.* teſtimonia vocavit: Ariſtoteles, & itidem quandoque Cicero, & Quintilianus probationes inartificiales dixerunt. Agricola, *lib.* 1. *cap* 2. mavult eſſe pronunciata: quia ſcilicet hi loci ratione inventionis ſunt extra Oratoris artem; & probationes ab illis deſumptæ non ex viſceribus cauſæ, ſeu ex rebus ipſis, ſed remotè & foris eruuntur: quare authoritate niti debent.

PRÆJUDICIA.

Quid ſunt Præjudicia? R. Sunt, cùm in ſimili vel eadem cauſa aliquid aliquando judicatum eſt. Quintil. lib. 5. cap. 2. *ut pro Milone*: Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui à ſe hominem occiſum fateatur: in qua tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortiſſimi viri.

Et pro Roſcio Amer. num. 64. *Terracinenſes ſine magnis & probatis cauſis de parricidio judicare noluerunt: ergo nec Romani debent judicare.*

Et pro Cluentio num. 55. *Scamander erat condemnatus: igitur rectè Oppianicus erat condemnatus.*

Intellige ex Quintiliano Præjudicia duobus confirmari: ſimilitudine rerum de quibus quæritur, & judicum auctoritate. Refelli verò diſſimilitudine, aut actorum incuſando negligentiam; aut de infirmitate perſonarum querendo, contra quas fuerit judicatum; aut de gratia, quæ teſtes judicéſve corruperit, aut de invidia, aut de ignorantia; aut inveniendo quod cauſæ poſtea acceſſerit. Quorum ex Cicerone exempla non ſubjicio, ne fuſior fiam.

FAMA.

Quid eſt Fama ſeu Rumores. R. Eſt teſtimonium multitudinis, quæ habet auctoritatem, niſi malitia irrepſerit, vel nimia crudelitas alioquin his duobus, capitibus infirmatur. Eſt enim, *inquit Quintilianus ibid.* ſæpe ſermo ſine ullo certo authore diſperſus, cui malignitas initium dederit, incrementum crudelitas: quod nulli non etiam innocentiſſimo poſſit accidere, fraude inimicorum falſa vulgantium. *Cicero pro Cœlio*: At fuit fama. Quotuſquiſque iſtam effugere poteſt in tam maledica civitate? vicinum ejus mulieris miraris malè audiſſe, cujus frater germanus ſermones iniquorum effugere non potuit? 3. *de fin.* Eſt hominis ingenui & liberaliter educati, velle benè audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris; & futuræ poſt mortem famæ, etiam detracto uſu conſulendum eſt. *Pro Mil. num.* 64. Milo ſparſos de ſe rumores fortiter tulit.

TABULÆ.

Quid ſunt Tabulæ? R. Sunt ſcripturæ, vel publicæ, ut leges; vel privatæ, ut teſtamenta, Chyrographa. *Quintil. ibid. Argum.* Teſtamento legitimo inſtitutus eſt hæres: hæreditatem igitur adire poteſt. *Cicer. Pro Cluentio*. Tabulis Verris fidem abrogat propter li, turas. *Num.* 92. *& Verr. VII.* Negat eundem Verr.quidquam è ſuo expendiſſe ad Cybeam navem ædificandam, quia id nuſquam publicis tabulis proditur. *num.* 46. Jam à legibus valida argumenta ſumuntur, *ut pro Milon.* Quod ſi duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem ſi ſe telo defenderit, interfici impunè voluerunt: quis eſt qui quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet, cùm videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus? *Et ibid. paulò poſt*: Eſt enim, judices, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti, ſumus: ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.

TOR-

TORMENTA.

Quid ſunt Tormenta? ℞. Sunt quæſtiones, quibus veritas extorquetur. *Ariſtot. Rhet. lib.* 1. *cap.* 15. *Quintil. lib.* 5. *cap.* 4. Cicero pro Milone *Num.* 60. quæſtiones ſervorum refellit à perſona Appii, qui deridetur, & à modo quærendi non legitimo: *Age vero, quæ erat, aut qualis quæſtio? heus ubi Roſcio, ubi Caſca? Clodius inſidias fecit Miloni? fecit: certa crux. Nullas fecit ſperata libertas.* Et pro Cluent. num. 176. *Saſſiam crudelitatis inſimulat, quod iterata quæſtione Nicoſtratum ſervum diu torſerit.* Item inferiùs multa de quæſtione habet. Num. 182. Cæterùm periculoſa eſt, & ſæpè fallax, quæ tormentis exprimitur confeſſio: vi enim doloris, aut cruciatuum metu quis adactus, falſa dicet. Idcirco hoc genus argumenti non eſt ſatis firmum, niſi poſt quæſtionem rurſus interrogatus reus ſibi conſtet in rebus dictis.

JUSJURANDUM.

Quid eſt Jusjurandum? ℞. Eſt affirmatio religioſa, qua aliquid, quaſi Deo teſte, aſſeritur. *Ariſtot. Rhet. lib.* 1. *Quintil. lib.* 5. *cap.* 6.

In argumentis ab hoc loco maximè ſpectanda eſt perſonæ jurantis vel probitas, vel impietas; veriſimile namque eſt eum, qui in aliqua re ſemel ſit improbus & mendax, etiam in aliis ſceleratum & perjurum ſæpiùs futurum.

Deinde huc pertinent promiſſa, & pacta, quæ inter aliquos conveniunt *Cic.* 5. *Phil.* Audebo etiam obligare fidem meam, P. C. vobis populóque Rom. quod profectò cùm me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimeſceremque in re maximè periculoſa opinionem temeritatis: promitto, recipio, ſpondeo Cæſarem talem ſemper fore civem, qualis hodie ſit, qualémque eum maxime velle, & optare debemus. Pactum autem eſt apud Virgil. *Eclog.* 3.

Vis ergo inter nos, quid poſſit uterque viciſſim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuſes)
Bis venit ad mulſtram, binos alit ubere fœtus,
Depono: tu dic mecum quo pignore certes.

TESTES.

Quid ſunt Teſtes? ℞. Sunt qui de re, quæ in controverſiam vocatur, voce vel ſcripto teſtimonium ferunt, *Ariſt. lib.* 1. *cap.* 15. *Quintil. lib.* 5. *cap.* 7. Porro iis teſtibus fidem negamus, in quos cadit perturbatio, ira, odium, vindicta, pecuniæ ſpes, audacia, vita, & mores impii. Præterea non auditur teſtis in ſua cauſa, nec abſens in aliena, nec in domini cauſa ſervus, nec in amici amicus. Fidem verò adhibemus iis, qui ſunt probæ vitæ, vel teſtes oculati, vel auriti, vel jurati. *Pro Roſc. Comœdo num.* 24. Quo teſte igitur hoc planum faciam? venerat, ut opinor, hæc res in judicium, certe: Quis erat petitor? Fannius. Quis reus? Flavius. Quis judex? Cluvius. Ex his unus eſt mihi teſtis producendus, qui pecuniam datam dicat: quis ex his graviſſimus? ſine controverſia, qui omnium judicio comprobatus eſt judex, &c. Quem tu ſi ex cenſu ſpectas, eques Romanus eſt; ſi ex vita, homo clariſſimus; ſi ex re, judicem ſumpſiſti; ſi ex veritate, id quod ſcire potuit, & debuit, dixit. *Ibid. num.* 44. Manilio & Luſcio negas eſſe credendum? dic, aude, eſt tua contumaciæ, arrogantiæ, vitæque univerſæ vox. Quid Expectas? quàm mox ego Luſcium & Manilium dicam ordine eſſe ſenatores; ętate, grandes natu; natura, ſanctos & religioſo. *Pro Archia num.* 8. Quid horum infirmari poteſt? Heracliæ ne eſſe eum adſcriptum negabis? adeſt vir ſumma auctoritate, & religione, & fide L. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire; non audiviſſe, ſed vidiſſe; non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Adſunt Heraclienſes legati, nobiliſſimi homines &c. Poſt Flacco lepidiſſimè tota contentione Cicero rejicit, eluditque teſtes Aſiaticos, & Judæos, & Romanos, à levitate ſententiæ, & motum improbitate, & utilitate perſonarum: ubi abundè expreſſa cerneres exemplis, quæ ſupra diximus.

Denique eſt & aliud teſtimonium (præter divinum, ut oracula, auſpicia, vaticinationes, reſponſa Sacerdotum, Aruſpicum, conjectorum) à quo trahitur fides & argumentum ſanè firmiſſimum, nimirum ab Oratione, ſeu à verbis cujuſque. *Sic Cicero pro Milone adverſus Clodium:* Res erat minimè obſcura: etenim palam dictitabat conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe. Significavit hoc ſæpè in Senatu, dixit in Concione: qui etiam Fannio, fortiſſimo

ſimo viro, quærenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone vivo reſpondit triduo illum, ad ſummum quadriduo periturum.

ARTICULUS XIII.

Vſus Locorum.

QUis eſt Vſus Locorum? R. Definitionis uſus eſt non tantùm ut obſcuræ rei adferatur notitia, aut involuta aliqua quæſtio explicetur, ſed etiam ad amplificationes, & deſcriptiones: præſertim illius definitionis, quæ datur per cauſas & effecta, per negationem & affirmationem. *Agricola lib. 2. cap.* 28.

Notatio ad vim originem verborum, aut ad alluſiones & jocos adhibetur.

Enumeratio partium ad totum, explicatis partibus, clarè oculis ſubjiciendum, & diſtribuendum, & amplificandum ſervit.

Genus valet ad fusè dicendum, avocando orationem ab hypotheſi ad theſim: item ad docendum, laudandum, & ſuadendum. Nam magna eſt vis in natura generis benè expoſita.

Similitudo, & diſſimilitudo lucem adfert rebus, ornatum argumentis, animis voluptatem.

Uſus comparationis aſſurgit per exempla ad magnos motus.

Repugnantium verò ac oppoſitorum uſus eſt in amplificationibus ad refellendum ac probandum: item per antitheta ad ornatum orationis, & gratiam, & varietatem; tum ut res una per contrarium meliùs eluceſcat.

Latè ac eleganter patent Adjuncta, nam illa animi, & corporis, & fortunæ, ad laudandum vel vituperandum; illa temporis, & loci, & facultatis, & ſignorum, vel ad narrandum, vel probandum, vel confutandum, vel amplificandum, vel deſcribendum, vim habent ac ſplendorem.

Idem eſt ferè uſus de Antecedentibus & Conſequentibus; præſertim ad ſuadendum, aut diſſuadendum.

Per cauſas & effecta amplificamus: Ac genus quidem demonſtrativum ex rerum benè vel malè geſtarum cauſis conſtat: In deliberativo & judiciali per effecta & cauſas copioſè probamus, confutamus, deſcribimus.

Locis extrinſecis, ut præjudiciis, utimur ad confirmandum & refellendum, ſi accedit auctoritas: in aliis verò, ut fama, ut tormentis, ut tabulis, ut jurejurando, ut teſtibus, perſonarum probitas, & improbitas ſpectari debet, & rerum circumſtantiæ expendi.

ARTICULUS XIV.

Modus variandi Argumenti.

QUotuplex eſt Modus variandæ Orationis? R. Quintuplex: *Primò*, per locos. *Secundò*, per figuras. *Tertiò*, per argumentationes. *Quartò*, per amplificationes. *Quintò*, per affectus.

Varia idem Argumentum per locos & figuras. Reſponſio ſit hujus propoſitionis v. g. *Rhetorica eſt adoleſcenti expetenda*, ſimplex argumentum à definitione, *quia eſt ars benè dicendi*.

Sic variabis ab enumeratione partium per apoſtropham, interrogationem, ſubjectionem: Et quid tandem cogitas, adoleſcens, aut quænam tuo animo inſidet de Rhetorica opinio? num invenire, quæ quæſtionem Probabilem reddant, expetendum putas? eſt hæc prima laus Rhetoricæ. Quid? res inventas in ordinem diſtribuere? Quid ornatè eloqui? id non ſummo ſtudio quærendum videatur? hæc quoque docet Rhetorica. Niſi fortè memoriam non laudas, quæ inventis cogitatiſque rebus & verbis adhibetur; aut actionem non æſtimas, quæ ſummis Oratoribus & infimis magnam affert dignitatem? at eadem ipſa Rhetorica memoriæ & pronuntiationis præceptrix eſt, & quædam magiſtra. Quis igitur illam non expetat? quis, &c.

Sic variabis à genere per hypotipoſim ſeu etopæiam. Hæc, quæ ſæpè audiſtis ponite vobis ante oculos, quanto ſtudio artes expetit optimus quiſque adoleſcens; ut hic ne verberibus quidem à contemplandis rebus perquirendiſque deterreatur, ut pulſus requirat, ut aliquid ſe ſcire gaudeat, ut aliis narrare geſtiat: cernite ut nec valetudinis, nec rei familiaris habeat rationem, omniaque perpeti ardeat ipſa artis cognitione captus, & cum maximis curis, & cum laboribus compenſare eam, quam ex dicendo capit voluptatem. Quod ſi tanta eſt innata adoleſcenti omnium artium cupiditas: quanto ille deſiderio tenebitur Rhetoricæ? &c.

Sic variabis à comparatione & exemplo per ſuſtentationem, & proſopopæiam. Rhetoricæ ſcientia nulla

res

res eſt præſtantior : nam quid Antiqui maximè appetierunt? an divitiarnm amplitudinem? an illecebras voluptatum? an honoris faſtigium? quid Demoſthenes, quid Cicero, quid Hortenſius, quid innumerabiles alii ſibi propoſuerunt? otium fortaſſe, & quietem? nolite ſic cenſere. Quid igitur? loquantur ipſi & reviviſcant. Audi, adoleſcens, horum orationem, tametſi ſcripta legeris: Opes, voluptas, honor caduca ſunt & fluxa: Rhetoricæ ſcientia ſempiterna : hanc tu ſectare, in hac una excellere pulchrum puta; neſcire autem turpe ducito : nullus nos labor ab illa deterruit, nullus ſomnus, &c.

Sic variabis ab Effectis per Exclamationem & Repetitionem. O magna vis & dignitas Rhetoricæ! ò præſtantiſſima omnium Scientia! quid eſt aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine exiſtere unum, qui id quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis poſſit facere? aut tam jucundum cognitu, atque auditu, quàm ſapientibus ſententii, gravibuſque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens tamque magnificum, quàm populi motus, judicum religiones, Senatûs gravitatem, unius oratione converti? *Iterum*, O ſuavis vitæ dux & comes Rhetorica! tu adoleſcentiam alis, tu ſenectutem oblectas; tu ſecundas res ornas, tu adverſis perfugium ac ſolatium præbes, tu delectas domi, non impedis foris, pernoctas nobiſcum, &c.

Sic variabis ab Adjunctis & Conſequentibus per Prolepſim, Licentiam, Conceſſionem. Dicet fortaſſe quiſpiam Quid hoc? omnis adoleſcens trahitur & ducitur ingenuis ſtudiis atque artibus Rhetoricæ? difficile ſit hoc affirmare: dicam tamen liberè quod ſentio, & magna vocis contentione dicam, ut plures audiant, non ex optimis adoleſcentem eſſe illum, qui Rhetoricam non attigit è limine: præſertim ſi neque ætas ipſi, neque ingenium, neque valetudo, locus, tempus, parens, occaſio, modus, facultas ſtudendi deſit. I tu, quando ita ſentis; iſtam artem reſpue, & ejus cognitionem aſpernare: verùm quæ tibi laus erit viro minimè petito? quæ dignitas obveniet? qui honores? quæ præclarè facta dictaque? ſeni autem quę gravitas, quod conſilium, &c.

Pluribus exemplis ſuperſedio, ne ſim longior. De varianda Argumentatione, amplificatione, affectu, vide ſuo loco.

CAPUT SECUNDUM.

De Argumentatione.

QUandò jam ſunt erruta è locis Argument proximum eſt ea explicare, & arte quadam tractare, quò majorem vim habeant: nam ex ſeſe jejuna ſunt & imbecilla, niſi accedit Argumentatio, quæ nervus eſt orationis:

Quid eſt Argumentatio? ℞. Eſt Oratio, in qua artificiosè unum ex alio colligitur. Argumentum verò eſt id, ex quo aliud colligitur. v. g. *Rhetorica eſt honeſta: igitur amplectenda*, Argumentatio eſt: *Rhetorica eſt honeſta* Argumentum eſt, ſeu Ratio aut medium, quo probatur concluſio.

Quæ ſunt Argumentationis ſpecies? ℞. Syllogiſmus, Ratiocinatio, Enthymema, Collectio, Sorites, Dilemma, Epicherema, Inductio.

ARTICULUS I.

Syllogiſmus.

QUid eſt Syllogiſmus? ℞. Eſt Argumentatio ex duabus propoſitionibus concluſionem neceſſario inferens: ut, *Omnis ars honeſta eſt amplectenda. Rhetorica eſt ars honeſta: igitur amplectenda.*

Prima Syllogiſmi propoſitio dicitur major, ſeu ſimpliciter propoſitio, quoniam id proponit, in quo eſt vis ad probandum.

Secunda vocatur minor, ſeu aſſumptio, quia aliquid aſſumit ex prima ad probandam concluſionem. v. g. in allato exemplo: *Omnis ars honeſta eſt amplectenda*, major eſt, ſeu propoſitio. *Rhetorica eſt ars honeſta*. Aſſumprio eſt. Quia ex majore aſſumitur, *eſt ars honeſta*, Concluſio, ſeu complexio, eſt ipſa quæſtio illata ex ſuperioribus, ſcilicet majore & minore; nempe, *Rhetorica eſt amplectenda.*

ARTI-

ARTICULUS II.

Ratiocinatio.

QUotuplex eſt Ratiocinatio? R℞. Triplex: tripartita, quadripartita, quinquepartita.

Tripartita (quæ ſimpliciter Syllogiſmus appellatur) eſt Argumentatio, ut dixi, ex duabus propoſitionibus concluſionem neceſſario inferens: *ut*, Cuicumque quæſito opus eſt, is verè dici dives non poteſt. M. Craſſo quæſito opus eſt: ergo M. Craſſus verè dici dives non poteſt. *Item*: Aut metuamus Carthaginenſes oportet, ſi incolumes eos reliquerimus, aut eorum urbem diruamus, at metuere quidem non oportet: reſtat igitur ut urbem diruamus.

Quadripartita eſt ſyllogiſmus, in quo vel major, vel minor probatur: *ut*, Qui ſæpe numero nos per fidem feſellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus: ſi quid enim perfidiâ illorum detrimenti acceperimus, nemo erit præter noſmetipſos, quem jure accuſare poſſimus. ac primò quidem decipi incommodum eſt, iterum ſtultum, tertiò turpè. Carthaginenſes autem perlæpè jam nos feſellerunt: Summa igitur amentia eſt, in eorum fide ſpem habere, quorum perfidia toties deceptus ſis. Ubi vides aſſumptionis probationem & expoliationem deeſſe.

Quinquepartita (quæ ſimpliciter Ratiocinatio, à multis dicitur) eſt Syllogiſmus, cujus major & minor probatur: *ut*, Cuicumque quæſito opus eſt, is verè dici dives non poteſt, eſt enim divitiarum fructus in copia: copiam autem declarat ſatietas rerum atque abundantia, hoc eſt, ſi nihil tibi deeſſe putes, nihil appetas, nihil optes amplius. M. Craſſo autem quæſito opus eſt, quia Propter aviditatem pecuniæ nullum quæſtum turpem putat. Quotidie fraudat, decipit, paciſcitur, aufert, eripit, ſpoliat ſocios, ærarium compilat, & teſtamenta ſupponit: Quę cuncta non abundantis, ſed egentis, ſigna ſunt: ergo M. Craſſus vere dici dives non poteſt.

ARTICULUS III.

In Ratiocinatione cautio.

QUid in Ratiocinatione cavendum eſt? R. Ut vitetur ſimilitudo, quæ ſatietatis eſt mater, non ſemper à propoſitione ordiendum, à complexione, ab aſſumptione nonnunquam: omittenda ſæpe probatio, quando propoſitio clara eſt. Cicero 1. *Catilinaria* ſtatim proponit hanc Ratiocinationem: omnis perniciosus Civis occidendus eſt; nam exempla Majorum hoc probant: Catilina eſt perniciosus civis; nam impudens eſt conjurator: igitur Catilina jure occidendus eſt. Sic verò ordinem invertit. & incipit à probatione minoris: *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra, &c.* deinde concludit: *O tempora, ò mores, vivit, & vivit, &c. ad mortem te, Catilina, jampridem, duci oportebat &c.* Tum inferiùs ſubjungit majorem: *Fuit, fuit quondam illa virtus, ut majores noſtri ſuppliciis acrioribus perniciosum civem quàm hoſtem coërcerent.*

Deinde quælibet propoſitio illuſtrari debet variis figuris, amplificationibus, & locis Rhetoricæ, ſine his enim languida eſt Argumentatio, quare toties variari poſſunt ſingulę Argumentationis partes, quot ſunt Figuræ ſententiarum, ut interrogando, exclamando, prætereundo, communicando, &c. Horum exemplum ſit. *Pro lege Manil.* ubi Cicero Ratiocinationem habet inſignem & eleganter omnes ejus partes exornatas. *Major propoſitio*, Cujus maxima eſt in adminiſtrandis bellis auctoritas, is eſt Aſiatico bello præficiendus; *effertur comparatione & diſtributione, num. 43. Probatio, interrogatione.* Nam vehementer pertinere ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocii de Imperatoribus ipſis exiſtiment, quis ignorat? cùm ſciamus homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament: opinione non minus famæ, quàm aliqua certa ratione commoveri. *Aſſumptio*: Magna eſt Cn. Pompeii auctoritas, *effertur majore interrogatione*: Quod igitur nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit? cujus res geſtæ pares? de quo homine vos, Quirites, id quod maximè facit auctoritatem, tanta & tam præclara judicia feciſtis, &c. *Aſſumptionis probatio, præteritione, rurſus interrogatione.* Itaque ut plura non dicam

cam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum hujus auctoritas valeat in bello: ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla ſumantur. Qui quo die à vobis maritimo bello eſt præpoſitus imperator, tanta repentè vilitas annonæ ex ſumma inopia & caritate rei frumentariæ conſecuta eſt, unius ſpe de nomine, quantam vix ex ſumma ubertate agrorum diuturna pax efficere potuiſſet. Jam verò accepta in Ponto calamitate &c. *Concluſio*, *exclamatione*. Et quiſquam dubitabit, quid virtute perfecturus ſit, qui tantum auctoritate perfecerit? *Vel*: Quis dubitet Pompeium eſſe Aſiatico bello præficiendum, cujus plurimùm apud reges, & exteras nationes valitura eſt auctoritas?

Vide in noſtra Analyſis de tribus aliis virtutibus Cn. Pompeii, ſimili Ratiocinatione expolitis.

ARTICULUS IV.

Enthymema.

QUid eſt Enthymema? ℟. Eſt Syllogiſmus imperfectus, vel, ut alii definiunt, Syllogiſmi pars, quia altera ex duabus propoſitionibus conſtat, illi deeſt, ſive Major, ſive Minor. *Quintil. lib. 5. cap. 14. Cicero in Topic.* ut, *Rhetorica eſt ars; igitur expetenda.* Cicer. pro Cœlio: *Atque ſcitote, Judices, eas cupiditates, quæ objiciuntur Cœlio, atque hæc ſtudia, de quibus diſputo, non facilè in eodem homine eſſe poſſe.* Ut ſit Syllogiſmus: *Non poſſunt in eo, in quo eſt ſummus ſtudiorum amor, eſſe & prava cupiditates: In Cœlio eſt ſummus ſtudiorum amor: non poſſunt ergo in eo eſſe pravæ cupiditates.*

ARTICULUS V.

Collectio.

QUid eſt Collectio? ℟. Eſt Argumentatio, quæ quinque habet partes. 1. Propoſitionem. 2. Rationem propoſitionis. 3. Rationis confirmationem. 4. Exornationem confirmationis. 5. Denique complexionem. Exemplum eſt hæc propoſitio, Pravorum conſortia ſunt adoleſcentibus vitanda: *Ratio*: Quia hæc ætas celeriter corrumpitur

tur ejuſmodi conſortiis. *Confirmatio*: Deficit enim ratione & conſilio hæc ætas; tum adoleſcentis voluntas quam eſt cæca & proclivis in vitium. *Exornatio*: Atque ego nullum ſcopulum, nullam charybdim tot tantiſque navigantium naufragiis infamem puto, quàm iſtud pravorum conſortium fuit præditum ac profligatum ad caſum perniciemque adoleſcentum. *Complexio*: Pravorum igitur conſortia ſunt adoleſcentibus vitanda.

Vide exempla perfectæ Collectionis in ſecunda & tertia Catilinaria. nam harum duarum orationum analyſis eſt aperta Collectio. *Ac in poſtrema quidem propoſitio eſt iſta*. Hic dies ſupplicatione Deorum eſt celebrandus. *Ratio*, quia Cicero hodie remp. conſervavit. *Confirmatio*, nam Catilinariam conjurationem manifeſtè comperit. *Exornatio*. Iſtam autem conjurationem longè omnium periculoſiſſimam, crudeliſſimamque ſine internecione civium, togatus conſul, brevi tempore extinxit. *Complexio*, ergo hic dies, &c

Quadrimembris Collectio eſt apud Ciceronem pro Ligar. in qua expolitio prætermittitur. *Propoſitio*: Ligarius poſt adventum Vari neceſſitate in Africa, non voluntate, aut propter alienum à Cæſare animum reſtitit. *Ratio*, nam ſi potuiſſet illinc ullo modo evadere, non Uticæ potius, quàm Romæ: neque cum P. Attio, quàm cum concordiſſimis fratribus, neque cum alienis eſſe, quàm cum ſuis maluiſſet. *Confirmatio*. Etenim cùm ipſa legatio plena deſiderii ac ſolicitudinis fuiſſet propter incredibilem quemdam fratrum amorem, qui potuit Ligarius æquo animo eſſe, belli diſſidio diſtractus à fratribus? *Concluſio*, Nullum igitur habes, Cæſar, in Q. Ligario ſignum alienæ à te voluntatis.

Differt à Ratiocinatione Collectio, quòd in Collectione idipſum quod proponitur, in concluſione repetitur. In Ratiocinatione verò concluditur id, quod eſt è propoſitione & aſſumptione confectum.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Sorites.

QUid eſt Sorites? R. Eſt Argumentatio, quæ per multas propoſitiones, quaſi per gradus (repetendo ſemper aliquid ex præcedenti) ex primo concludit extremum. *Exemplum ſit*: Si prætor pecuniam dedit, ut eſt ſcriptum, à quæſtore numeravit, quæſtor à publica menſa, publica menſa ex vectigali, aut ex tributo: ergo ſi pecuniam dedit, ex vectigali dedit. *Alterum exemplum ſit*: Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparat; igitur Africano induſtria æmulos comparavit.

Sed hoc Argumentandi genus ſæpè ſolet eſſe fallax & captioſum. Sic Stoici fallaciter concludebant omne; quod quavis ratione bonum eſſet, eſſe honeſtum: *Si bonum igitur optabile; ſi optabile, expetendum; ſi expetendum, dignitatem habet, ſi dignitatem habet, laudabile eſt; ſi laudabile, honeſtum: igitur ſi bonum eſt, honeſtum eſt.*

Hic tertia conſecutio eſt vitioſa, multa enim ſunt expetenda, quæ dignitatem non habent, ut nonnulla utilia, & alia quædam jucunda.

Quare cavendum, ne in diſcurſu aliquid non legitimum admittatur, aut minus conſequens ex alio.

ARTICULUS VII.

Dilemma.

QUid eſt Dilemma? R. Eſt argumentatio, qua utrumvis conceſſeris, reprehenditur. *Cic. de Invent. lib. 1. ut*, Si improbus eſt, cur uteris? ſin probus, quid accuſas? *Apud Curtium Philotas.* An impiorum amicis inſontibus quoque moriendum eſt? quod ſi æquum eſt, cur tamdiu vivo? ſi injuſtum, cur nunc demum occidor? *Et Medea Creonti.* Si judicas, cognoſce: ſi regnas, jube. *Cicero in Piſonem.* Vel triumphi, vel prædæ cupiditas te ad provinciam petendam rapiebat: non triumphi, ut tutè profiteris: ergo prædæ. Si implacabiles ſunt iracundiæ, ſumma eſt accerbitas; ſi autem exorabiles, ſumma lænitas.

Æqui-

Æquivalet hoc Dilemma huic Ratiocinationi : *Nec debet eſſe acerbus homo, nec lenis. Sed ſi iraſcitur, erit alteruter : vel enim non patietur placari iracundiam ſuam, & acerbus erit : vel eam exorari ſinet, & lenis appellabitur :* Non *ergo debet iraſci :*

Potéſtne ſolvi Dilemma ? ℞. Si verum ſit, ſolvi non poteſt ; ſi falſum, vel inverſione, vel alterius aut utriuſque partis infirmatione diluitur. Sic propoſitum Dilemma diſſolvitur. *Si implacabiles ſunt iracundiæ, modò juſta ſint de cauſa ſuſcepta & confirmata, ſumma juſtitia eſt : Si placabiles, modò ſe offerat honeſta parcendi occaſio, ſumma lenitas.*

ARTICULUS VIII.

Epicherema.

QUid eſt Epicherema ? ℞. Eſt brevis Ratiocinatio, in qua tamen integer Syllogiſmus, & Ratiocinatio, comprehenditur, *Quintil. lib. 5. cap.* 14. ut, *Quis dubitet mundum, qui optimè regitur, conſilio & providentia adminiſtrari ? Sine cauſa ſervus dominum accuſet ?* Æquivalet hoc Epicherema huic Ratiocinationi quinquepartitæ : *Sine cauſa ſervus dominum accuſare non debet, quia contra naturam eſt. Hic ſervus eſt Titii, quandoquidem ſe illi mercede locavit : cur ergo ſine cauſa illum accuſat ?*

ARTICULUS IX.

Inductio.

QUid eſt Inductio ? ℞. Eſt Argumentatio, quæ ex multis ſingularibus propoſitio univerſalis infertur. *Cicero de Invent. lib.* I. *Quintilian. lib.* 5. *cap.* II. Exemplum eſto illud Ciceronis. *Domus ea, quæ conſilio regitur, Omnibus inſtructior eſt rebus & apparatior, quam ea, quæ temerè & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui præpoſitus eſt ſapiens & callidus imperator, omnibus partibus commodiùs regitur, quàm is, qui ſtultitia & temeritate alicujus adminiſtratur. Eadem eſt navigii ratio : nam ea navis optimè curſum conficit, quæ ſcientiſſime gubernatore utitur : Igitur meliùs accurantur quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur.*

Quotupliciter fit Inductio. ℞. Tripliciter.

I. Enu-

I. Enumeratione partium ſub uno genere: ut, *Prudentia laudanda eſt, laudanda item Juſtitia, Fortitudo, Temperantia, & ſic de cæteris: ergo omnis virtus laudanda eſt.*

II. Fit plurium ſimilitudinum ſeu comparationum congeſtione: ut, *Sic à natura comparatum eſt, ut in quoque genere princeps exiſtat: Luna inter minores ſtellas præſtat. Roſa florum obtinet principatum. Gemmarum prima eſt unio. Quidni in adoleſcente virtutum regina ſit verecundia?*

III. Fit Inductio pluribus exemplis: ut Cicero eleganter paradoxo primò. *Quibus gradibus Romulus aſcendit in cœlum? quibus autem Numa Pompilius? nonne rebus geſtis atque virtutibus? omitto reliquos reges, &c.* Item: *Romulus fratrem ſecum regnantem ferre non potuit, neque Pompeium Cæſar, nec Auguſtus Antonium: ergo nullus æquo animo fert conſortem Imperii.*

ARTICULUS X.

Argumentationum uſus ac venuſtas.

QUis eſt Uſus Argumentationum? R. Syllogiſmus, ſeu Ratiocinatio ſervit exornationi & amplificationi, ubi res amplè dicenda eſt, ac fusè per theſes probationéſque explicanda, præcipuè in genere demonſtrativo & deliberativo.

Enthymemate ſæpè utuntur Oratores, quia efficax eſt, & breve ad probandum.

Collectio clara & facilis Argumentatio valet ad perſuadendum; nam ſenſim adaugens rem ſtabilit, expolit, demonſtrat.

Sorites eſt fallax & captioſus, in quo frequentes fuerunt Stoici: ſed maximè omnium illo delectatus dicitur Chryſippus, uti Socrates Inductione.

Dilemma utrimque urget, capítque adverſarium. Includitur Epicheremate, vibratúrque vehemens Argumentum.

Inductio delectat, & eſt vulgo apta, propter ſimilitudines & exempla. Hanc Argumentationem frequentant Rhetores ac Poëtæ, præſertim Ovidius; quia venuſtè ac perſpicuè explicat argumenta.

Quot rebus continetur & perficitur venuſtas Argumentationum? R. Tribus.

I. Ut varietas magna quæratur in Argumentationibus, ne ſatietatem & nauſeam pariant, neque enim oportet ſimul crudè & indigeſtè congerere, ac eodem modo explicare, ſed jucunda quadam varietate diſtinguere: quæ in re mirabilis eſt Cicero, qui ita variat Argumentationes, ut prius Argumentum efferat Syllogiſmo, ſecundùm Enthymemate, tertium Inductione.

II. Ut ſingulæ Argumentationis partes diverſis verborum & ſententiarum figuris exornentur: quod ſuprà de Ratiocinatione diximus.

III. Ut omnia aptis tranſitionibus & digreſſionibus connectantur.

ARTICULUS XI.

Tranſitio.

QUoniam Ingreſſionibus ſeu Tranſitionibus ſæpiùs laborat adoleſcentia, plures harum ſpecies ſeu formas colligemus.

Quid eſt Tranſitio? ℟. Eſt ab una orationis parte ad aliam idonea progreſſio: vel, eſt vinculum ſeu nexus, quo pars Orationis poſterior cum priore aptè conjungitur.

Quot modis fit Tranſitio? ℟.

I. Fit per ſimplicem dicendorum propoſitionem. Ut, *Cicero pro Muran.* Venio nunc ad M. Catonem, quod eſt firmamentum ac robur totius accuſationis. *Item*: Cognoſcite nunc judicium ſenatûs, &c. At videre ſingulare genus fraudis.

II. Per partitionem. *Ut pro Roſcio Amer.* Tres ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum, quæ obſtant hoc tempore S. Roſcio: crimen adverſariorum, & audacia, & potentia. Criminis confictionem accuſator Erucius ſuſcepit: audaciæ partes Roſcii ſibi popoſcerunt: Chryſogonus autem, is qui plurimùm poteſt, potentia pugnat. De hiſce omnibus rebus me dicere oportere intelligo.

III. Per brevem ſuperiorum repetitionem. *Ut Cicero pro lege Manil.* Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. *Ibid.* Cauſa quæ ſit, videtis; nunc quid agendum ſit, conſiderate. *Et pro Archia poëta.* Quæ cùm ita ſint, quid eſt, quid de ejus civitate dubitetis, præſertim cùm in aliis quoque civitatibus fuerit adſcriptus? etenim, &c.

IV. Per

IV. Per Concluſionem, quæ viam facit ad ſequentem orationem. *Vt pro Muran.* Nihil igitur in vitam Murænæ dici poteſt: Nihil, inquam, omnino: quo conſtituto facilior eſt mihi aditus ad contentionem dignitatis, quæ pars altera fuit accuſationis.

V. Per Comparationem aut aliquid affine, aut conſequens ex re præcedenti, *Vt*: Neque verò illa pax cum Antonio turpior, quàm periculoſior cenſeri debet: nam, &c. Sed me, judices, non minus hominis ſapientiſſimi atque ornatiſſimi Ser. Sulpicii conqueſtio, quàm Catonis accuſatio commovebat, qui, &c. Quæ cùm ſint gravia, illud acerbiſſimum eſt, quod habet tres accuſatores, &c.

VI. Per Incrementum ſive Gradationem. *Cic. pro Cluent.* Neque ſolùm in eo diligens fuit, ut accuſatorem filio ſuo compararet, ſed etiam cogitavit quibus eum rebus armaret *Et pro Roſc. Amer.* Quid ab his tot maleficiis ſceleris abeſſe videtur? tamen hæc aliis nefariis cumulant atque adaugent, crimen incredibile confingunt, &c.

VII. Per Attentionis renovationem. *Vt*: Attendite nunc ad id, quod ſum dicturus.

VIII. Per Prolepſim, ſive occupationem. *Vt*: Sed dicet aliquis, ut minor ſit in hac re dignitas, magnam eſſe utilitatem. Imò attendite detrimentum. Quid illis terris aſperius? quid incultius oppidis? &c.

IX. Per Allegoriam. *Vt Cic. pro Sextio*: Verùm hæc ita prætereamus, ut tamen intuentes & reſpectantes relinquamus. Ad tribunatum, quia ipſum ad ſeſe jam dudam vocat, & quodammodo abſorbet orationem meam, contento ſtudio curſuque veniamus.

X. Per Dubitationem. *Vt*: Quid nunc de virtutis honeſtate dicam? quid reliquam vitæ conſtantiam comemorem?

XI. Per Communicationem. *Vt*: Jam quæro ex vobis, quantam Rhetoricæ utilitatem putetis?

XII. Per Conceſſionem. *Vt Cicer. pro Muran.* Sed hæc ſanè patria ſint omnia; ſit par forenſis opera militari, ſit par militari ſuffragatio urbana. Quid, in ipſa prætura, nihilne exiſtimas inter tuam & illius ſortem interfuiſſe? *& pro Roſcio Amer.* Eſto cauſam proferre non potes, tametſi ſtatim vicisse debeo, tamen de meo jure decedam, & tibi quod in alia cauſa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Non quæro abs te, quare patrem

Sextius Roſcius occiderit, quæro quomodo occiderit.

XIII. Per ejuſdem vocis repetitionem. *Vt pro Milone.* Quem ſi interficere voluiſſet, quantæ, quoties occaſiones, quàm præclaræ fuerunt? potuitne, cùm domum ac deos penates ſuos illo oppugnante defenderet, jure ſe ulciſci? potuitne cive egregio, & viro fortiſſimo P. Sextio collega ſuo vulnerato? potuitne Fabricio, viro optimo, cùm de reditu meo legem ferret, pulſo, crudeliſſima cæde in foro factâ? potuitne Cæcilii, juſtiſſimi prætoris, oppugnata domo? potuitne illo die cùm eſt ex lata de me. *Et paulo infra num.* 42. Quid. &c.

XIV. Per Apoſtropham. *Vt*: Nunc vos appello, Cælites, quantum eſt gaudium veſtrum? quanta virtutis veſtra merces ac gloria?

XV. Per Ironiam. *Vt*: Cur igitur manu miſit? metuebat ſcilicet, &c.

XVI. Per Correctionem. *Vt*: Sed quid hæc diutiùs diſputo, cùm hæc luce clariora videantur? Itaque ad aliud progredior.

Denique tot ſunt ferè modi & formulæ Tranſitionum, quot ſunt figuræ ſententiarum. Verùm ſunt & aliæ minores Tranſitiones, quæ partes ſeu propoſitiones Argumentationum connectunt, ut hæ: *quid, quid nunc, jam verò, etenim, equidem, accedit quod, & verò ignoratis, quamobrem, igitur.*

Ad extremum juvabit ſeligere plures ex Cicerone formulas, quibus ab uno vel argumento, vel orationis membro tranſitur ad aliud. Ut pulcherrimè fit pro lege Manil. num. 6. *Primùm mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudinem, tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. Genus eſt enim ejuſmodi, quod maximè veſtros animos excitare atque inflammare debet.* Sic primum membrum aggreditur Cicero. Ad ſecundum verò ſic progreditur, num. 20. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Ad tertium, num. 72. *Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum; reſtat ut de Imperatore ad bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum eſſe videatur, utinam, &c.*

Et pro Muræn. num. 11. *Intelligo, judices, tres accuſationis partes fuiſſe, & earum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam.* Primam partem ſic inchoat: *Atque harum trium partium prima illa, quæ graviſſi-*

graviſſima eſſe debebat, ita fuit infirma & levis, ut, &c. Secundam ſic ingreditur; *Bene habet, quo conſtituto facilior eſt mihi aditus, ad contentionem dignitatis, quæ pars altera fuit accuſationis. Summum video &c.* Tertiam ſic: *Nunc mihi tertius ille locus eſt orationis de ambitus criminibus re tractandus.* Inſuper vide *Philip. 7.* ubi orationis membra eleganter ſunt diſtributa & colligata.

ARTICULUS XII.

Digreſſio.

Quid eſt Digreſſio? R. (virtus potiùs, ut tranſitio, quàm pars orationis) Eſt alienæ rei, ſed ad utilitatem cauſæ pertinentis, extra ordinem excurrens Tractatio. Quint. *lib. 4 cap. 3.* Eſt quaſi levis armaturæ militum excurſio, ubi occaſio eſt: *ut*, Si facinus aliquod fortitudinis eximiæ prædicas, ad laudes ipſius fortitudinis, vel eorum qui ſimilia patrarunt, cum judicio excurris, & apta tranſitione ad rem tuam te recipis. Itaque res ad quam excurritur, debet cohærere cum cauſa, nec debet eſſe per vim aut temerè inſerta.

Deinde eâ re tantiſper expoſitâ, reditus ad propoſitum ſignificari debet, maximè ſi fuerit longiuſcula Digreſſio. Præterea Digreſſio, fit præcipuè laudandi, vituperandi, cauſa; &, quando materia inamœna eſt & ingrata, delectandi.

Vide exempla pro Quinctio *num.* 44. Ubi digreditur Cicero ad Judicem Aquilium, & actorem Hortenſium, ut utrumque avocet à judicio; quod ſit non de pecuniis, ſed de capite Quinctii. Et pro Roſc. *num.* 55. Ubi digreditur in Erucium & accuſatores ineptos comparatione canum & anſerum in Capitolio. *Verr.* 2. ſtatim digreditur in Siciliæ laudes, & alibi ſæpiùs in ſuas laudes contra adverſarios: quæ paſſim exempla, quia prolixiora, non affero.

ARTICULUS XIII.

Modus variandæ Argumentationis.

VAria eandem Argumentationem: R. Sit hujus Argumenti v.g. Præceptores ſunt laude afficiendi, quia ſunt optimè de Rep. meriti, *hac explicatio, ſeu Argumentatio Syllogiſtica*: Ii laude ſunt afficiendi, qui ſunt optimè de Rep. meriti; hujuſmodi ſuntPræceptores; ergo &c. Sic variabis Per quinquepartitam Ratiocinationem: *Major*. Qui ſunt optimè de Rep. meriti, laude ſunt afficiendi. *Probatio*. Quia laus eſt præmium virtutis, ſoletque honeſtis viris deferri propter merita vel in cives, vel in patriam; vel in omne genus hominum. *Minor*: Præceptores ſunt optimè de Rep. meriti. *Probatio*: Quia, teſte Tullio, nullum munus Reip. majus afferre, meliúſve poſſumus, quàm ſi doceamus, atque erudiamus juventutem, iis præſertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda, atque coërcenda ſit. *Concluſio*: Quis igitur dubitet Præceptores eſſe laude afficiendos.

Per Enthymema: Præceptores ſunt optimè de Rep. meriti: igitur laude afficiendi.

Per Collectionem: *Propoſitio*, Præceptores ſunt laude afficiendi. *Probatio*, Quia docendo atque erudiendo juventutem ſunt optimè de Rep. meriti. *Confirmatio*, Quid enim majus meliúſve hoc docendi munere afferri Reip. poſſit? *Exornatio*, Alii armis, alii toga, ſcriptiſque Reip. ſtudeant: nos præceptis juventutem imbuamus, ex cujus recta inſtitutione omnis Imperatorum, ac togatorum, ſcriptorumque induſtria ac virtus emanat, *Complexio*, Igitur Præceptores ſunt laude afficiendi.

Per Soritem; Si quid laudis, conſilii, ac virtutis habet puer, id debet Præceptori ſuo; adoleſcens autem illud pueritiæ bene inſtitutæ debet; vir adoleſcentiæ, virili ætati ſenectus; ſenectuti Reſp. cujus hæc auctoritate ac ſapientia nititur: Ergo ſi quid laudis, conſilii, virtutis habet Reſp. id omne Præceptoribus acceptum referre debet.

Per Dilemma: Pueri Præceptoribus traditi, vel poſtea proderunt Reip. vel oberunt: Si proderunt, Præceptorum opera laudabitur; ſi oberunt, quòd id nulla præceptorum culpa contractum erit, tamen laude

laude ſua ac præmio carere non debent.

Per Epicherema: Præceptores, qui de Rep. merentur optimè, dum juventutem docent, nulla laude afficiantur?

Per Inductionem: Plato, Pythagoras, Ariſtoteles, Xenophon, Quintilianus, aliique clariſſimi viri ſingulis ætatibus exſtiterunt, qui magnam in omni Rep. meritorum famam retulerunt, quia juventutem erudierunt; igitur Præceptores, &c.

CAPUT TERTIUM.

De Amplificatione.

GRaviſſima pars Eloquentiæ eſt Amplificatio, quæ per omnes Argumentationis partes, velut ſanguis per humanum corpus, fuſa eſſe debet; nam omnis Rhetoricæ vis in amplificando conſiſtit: quare maximè intereſt claram & apertam Amplificationis ideam adoleſcentibus proponere.

Quid eſt Amplificatio? ℞. Cum Cicerone *in partit.* Eſt gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem. Antè dixerat: Amplificatio eſt vehemens quædam Argumentatio, ut illa docendi cauſa ſit, hæc commovendi. Ex qua definitione adverte finem proprium ac proximum Amplificationis eſſe, magis voluntatem movere, quàm intelligentiam convincere: propterea rem Argumentis jam probatam, & Argumentationibus expoſitam, ſolet ipſa Amplificatio ſubſequi. Deinde illam non adhiberi, niſi in rebus magnis, & in gravioribus cauſis: neque enim res minutæ & exiles amplificandæ. Tum maximè verborum ac ſententiarum figuris fusè efferri: quod idem poſtea de affectu dicemus.

Quotuplex eſt Amplificatio? ℞. Duplex: Alia verborum, de qua etſi lib. 3. de Elocutione, hic tamen pauca dicemus ex Cicerone.

Alia rerum, quæ quatuor modis fit: I. per incrementum. II. per comparationem. III. per ratiocinationem, ſive Emphaſim. IV. per congeriem; quo-

quatuor Amplificationis modos, ſeu fontes ex Quintiliano *lib. 8. cap. 4.* aperiemus.

ARTICULUS I.

Amplificatio verborum.

QUomodo Amplificatio verborum fit? R. Verba, inquit Cicero *in partit.* ponenda ſunt, quę vim habeant illuſtrandi, nec ab uſu abhorrentia, gravia, plena, ſonantia, juncta, facta, cognominata; non vulgata, ſuperlata, imprimíſque tranſlata: nec in ſingulis verbis, ſed in continentibus ſoluta, quę dicuntur ſine conjunctione, ut plura videantur.

Gravius eſt, authore Fabio, cùm eum qui ſit cæſus, occiſum: eum qui ſit improbus, latronem: item eum qui attigit, pulſaſſe: qui læſit, vulneraſſe dicimus. Quo modo Cicero 7. *Verr.* Non enim furem, ſed raptorem; non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumque; non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem civium, ſociorumque, in veſtrum judicium adduximus. Sonantius eſt illud *I. Catil.* Pœnæ à conſceleratiſſimis exigi videantur. Tu, Jupiter, hoſtes patriæ æternis ſuppliciis vivos mortuóſque mactabis, contrucidabis. Ita ſuperlativus pro poſitivo, *pro lege Manil.* Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus; &c. Tranſlata ſunt hæc 7. *Verr.* Procedit iſte de prætorio inflammatus ſcelere, & furore, crudelitate in forum venit. *Pro Milon.* Quid odiſſet Clodium Milo ſegetem ac materiam gloriæ ſuæ.

Illuſtandi vim habent Epitheta, uti plura verba, & ſententiæ ejuſdem ſignificationis. *Pro Milone*: Erat id temporis clariſſimus & fortiſſimus conſul inimicus Clodio P. Lentulus, ultor ſceleris illius, propugnator ſenatus, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici conſenſus, reſtitutor ſalutis meæ. 7. *Verr.* Aderat janitor carceris, carnifex Prætoris, mors terrorque ſociorum & civium Rom. lictor Sixtius. *Catil. I.* Tandem aliquando Catilinam, furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ, nefariè molientem ex urbe vel ejecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem urbe proſecuti ſumus: abiit, exceſſit, evaſit, erupit. *Pro Ligario*: Quid enim tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie Pharſalica gladius

agebat?

agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi) manus ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

Diſſoluta ac ſoluta ſunt multa, quæ ſuprà attulimus: *item hæc*: Ab ipſo patria vexata eſt, bona direpta, urbes incenſæ, occiſi liberi.

ARTICULUS II.

Amplificatio rerum per Incrementum.

QUid eſt Amplificatio rerum per Incrementum? ℟. Quintilianus hanc optimè tractat *lib.* 8. *cap.* 4. Eſt cùm per gradus creſcit oratio, & ad ſummum pervenit; fitque duobus modis.

I. Cùm in contextu & curſu orationis ſemper aliquid priore majus inſequitur; ut de vomitu in Antonium Cicero *Philipp.* 2. Tu iſtis faucibus iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi Rom. conſpectu vomere poſtridie. O rem non modo viſu fœdam, ſed etiam auditu! ſi inter cœnam, in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? in cœtu verò populi Rom. negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus, gremium ſuum & totum tribunal implevit. Singula incrementum habent: per ſe enim deforme erat, vel non in cœtu vomere: in cœtu etiam non populi: populi etiam non Romani: vel ſi nullum negotium ageret, vel ſi non publicum: vel ſi non magiſter equitum. *Similiter pro Roſc. Amerino*: Niſi tu, M. Fanni, vóſque, judices, maleficia vindicetis, eò prorumpet hominum cupiditas, & ſcelus, & audacia, ut non modò clam, verùm etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes veſtros, judices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint. Gradus ſunt clam, in foro, ante tribunal, ante pedes, inter ſubſellia.

II. Cum ea quæ minora ſunt, magna facimus, ut quod ultimo Loco ponitur, maximum eſſe videatur. Ita Cic. *in Verr.* 7. Facinus eſt vincire civem Rom. ſcelus verberare, propè parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? Huc refertur Extenuatio, cùm res atrociſſimas, *inquit Fabius*, quaſque in ſummam

ipſi extulimus invidiam, elevamus conſultò, quò graviora videantur, quæ ſecutura ſunt. *Cicero in eundem Verrem*: Levia ſunt in hoc reo crimina, metum virgarum Navarchus nobiliſſimæ civitatis pretio redemit humanum. Alius ne condemnaretur, pecunias dedit: uſitatum eſt. Non vult populus Rom. obſoletis criminibus accuſari Verrem: nova poſtulat, inaudita deſiderat. Non de prætore Siciliæ, ſed de crudeliſſimo Tyranno fieri judicium arbitratur: Includuntur in carcerem condemnati, ſupplicium conſtituitur in illos &c.

ARTICULUS III.

Amplificatio Rerum per Comparationem.

Quomodo fit Amplificatio Rerum per Comparationem? ℞. Cùm exempla ſimiliaque quærimus, quorum comparatione res, quam attollere cupimus, maxima videatur. *lib.* 8. *cap.* 4. *Cic. I. Catil.* An verò vir ampliſſimus P. Scipio, Pontifex maximus, Tribunum Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reip. privatus interfecit: Catilinam orbem terrarum cæde atque incendiis vaſtare cupientem non Conſules perferemus?

Hic nota ex Quintiliano non modò tota totis, ſed etiam partes partibus comparari: nam & Catilina Graccho, & ſtatus Reip. orbi terrarum, & mediocris labefactatio cædi & incendiis, & privatus Conſulibus, comparatur: quæ ſi quis dilatare velit, plenos ſingula locos habent.

III. Catil. idem Tullius conjurationem à ſe extinctam amplificat inſigni comparatione quinque bellorum civilium, quæ civium ſanguine redundarunt. *num.* 24. Recordamini, Quirites, omnes civiles diſſentiones, &c. Sic pro lege Man. *num.* 36. Integritas ac temperantia Cn. Pompeii comparatione aliorum Imperatorum effertur. Et ibid. *num.* 42. Felicitas ejuſdem Pompeii amplificatur comparatione fortunæ magnorum imperatorum.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Amplificatio Rerum per Ratiocinationem.

QUomodo ſit Amplificatio per Ratiocinationem. ℞. Cùm aliud augetur, ut aliud creſcat. *Quint. lib.* 8. *cap.* 4. Sic hoſtis fortitudo & virtus, v. g. Hannibalis extolli poteſt, ut major victoris gloria, v. g. Scipionis creſcat: Ita *Virg.* Turnum laudat, ut major Æneas appareat. Et fortitudinem Gallorum, Germanorumque miramur, quò ſit major C. Cæſaris gloriæ. Sic nos tyranni crudelitatem deſcribimus, ut eluceſcat Martyris conſtantia.

Cicero VII. Verr. *num.* 138. *& ſeqq.* Amplificat ſupplicia Civium Rom. ut major crudelitas Verris appareat, qui illa inflixit. Et pro lege Man. *num.* 6. *&* 26. Augetur gravitas & periculum belli Aſiatici, ut creſcat imperatoris diligendi virtus. Item *num.* 31. Ex periculis damniſque belli prædonum effertur virtus Cn. Pompeii; qui illud bellum confecit.

ARTICULUS V.

Amplificatio rerum per Congeriem.

UNde Amplificatio rerum per Congeriem ſumitur? ℞. Ex iiſdem ferè locis, quibus Argumenta; ut ſunt definitiones conglobatæ, & conſequentium frequentatio, & contrariarum, & diſſimilium, & inter ſe pugnantium rerum conflictio, & cauſæ, & effecta, & adjuncta, & Enumeratio partium. *Cicero in partit.*

Quid eſt Amplificatio à definitionibus conglobatis? ℞. Eſt ea, in quam variæ unius rei definitiones congeruntur. *Vt*: Hiſtoria teſtis eſt temporum, lux veritatis, vita memorię, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis. *Item*: Virtus, quæ in tempeſtate ſæva quieta eſt, nec jacet in tenebris, & pulſa loco, manet tamen atque hæret in patria, nec alienis unquam ſordibus obſoleſcit. *Et pro Milon.* Curia templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, ara ſociorum, portus omnium gentium ſedes ab univerſo populo Rom. conceſſa uni ordini.

Quid eſt Amplificatio à conſequentium frequentatione?

ne? R. Eſt ea, in qua plura ponuntur acervatim ex eadem re conſequentia. *Vt*: Si bellum geritur, urbibus populatio, campis vaſtitas, ruina templis, divinis omnibus & humanis extrema pernicies infertur. Pro Muræ. *num.* 85. amplificat Cicero, quæ facturus fuiſſet Catilina, ſi Conſul fuiſſet: Sed quid tandem fiet? ſi hæc elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundârint, &c. Et VII. Verr. *num.* 76. Si Archipirata ſervatus à Verre profugiſſet, aut fuiſſet mortuus: Quod ſi ille prædo domo tua profugiſſet, ſi aliquam manum contra populum Rom. facere potuiſſet? quid diceres, *&c.*

Quid eſt Amplificatio à contrariarum rerum conflictione? R. Eſt ea in qua plura contraria inter ſe per antitheſes opponuntur. *Vt*: Hoc verò quis ferre poſſit, inertes homines fortiſſimis inſidiari, ſtultiſſimos prudentiſſimis, ebrioſos ſobriis, dormientes vigilantibus, &c. *Et in Catil.* Ex hac enim parte pudor pugnat, hic petulantia, hinc pudicitia, illinc ſtuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia, illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido. Huc pertinet rerum inter ſe pugnantium diſſenſio, in qua adverſarium, aliumve, ſibi contradicere oſtendimus. Ut Cicero pro Roſc. *Comœd.* contra Saturium: Qua in re mihi ridiculè es viſus eſſe inconſtans, qui eundem & læderes, & laudares; & virum optimum, & hominem improbiſſimum eſſe diceres: eundem tu & honoris cauſa appellabas, & virum primarium eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe arguebas. Vide pro Roſc. Amer. *num.* 44. ubi item Erucius contra ſe pugnare arguitur. Inſigniter idem Tullius contra Antonium, Philipp. 2. *num.* 31. Attende paulliſper, cogitationemque ſobrii hominis punctum temporis ſuſcipe, *&c.*

Quid eſt Amplificatio à Rerum diſſimilium collucłatione? R. Eſt ea, in qua plura diſſimilia afferimus. Ut Cicero 2. *Catilin.* Inſtruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia, veſtroſque exercitus: & primùm gladiatori illi confecto ac ſaucio conſules imperatoreſque veſtros opponite: Deinde contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum florem totius Italiæ ac robur educite: jam verò urbes coloniarum ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſilveſtribus: neque verò cæteras copias, ornamenta, præſidia

veſtra

veſtra cum illius latronis inopia atque egeſtate debeo conferre.

Quid eſt Amplificatio à Cauſis & Effectis conglobatis? R. Eſt ea, in qua multæ unius rei cauſæ & effecta conglobantur. *Vt*: Quereris multimodis vexatam eſſe provinciam? ſed ad cauſas calamitatis attende: vigebat in ea ambitio, luxuria dominabatur, ſegnes erant magiſtratus, populus ipſe molli otioſaque ſecuritate diffluebat. Expecta igitur damna longè graviora: exhaurientur pecuniæ, jacebit ſpreta religio, cædes impunè volitabunt *Sic Cicero à cauſis agitat Verrem*: Agunt enim præcipitem pœnæ civium Rom. quos partim implorantes ſecuri percuſſit, partim in vinculis necavit, paſſim implorantes jura libertatis & civitatis in crucem ſuſtulit. Rapiunt illum ad ſupplicium dii patrii, quòd iſte unus inventus eſt, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentes pro ſepultura liberorum repoſceret. Religiones verò ceremoniæque omnium ſacrorum violatæ, ſimulacraque deorum, quæ non modò ex ſuis templis ablata ſunt, ſed etiam jacent in tenebris ab iſto retruſa atque abdita, conſiſtere ejus animum ſine furore atque amentia non ſinunt. Vide pro P. Quinctio ab effectis conglobatis, amplificatur proſcriptio bonorum Quinctii *num.* 49. Uti pro Roſc. Amerin. ſcelus parricidii à cauſis conglobatis *num.* 37. & 62.

Quid eſt Amplificatio ab Adjunctis conglobatis? R. Eſt ea quæ ab omnibus ſeu rerum, ſeu perſonarum adjunctis, ac circumſtantiis dicitur: quæ amplificatio celeberrima eſt apud Ciceronem. Pro Cluen. *num.* 14. inſigniter Cicero nuptias Saſſiæ cum genero deſcribit ab adjunctis: Tum vero illa egregia ac præclara mater palàm exultare lætitiâ, ac triumphare gaudio cœpit, victrix filii, non libidinis. Itaque diutiùs ſuſpicionibus obſcuris lædi famam ſuam noluit; lectum illum genialem, quem biennio antè filiæ ſuæ nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari & ſterni, expulſa atque exturbata filia, jubet, nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis omibus omnium. O mulieris ſcelus incredile! & præter hanc unam in omni vita inauditum! ô libidinem effrenatam & indomitam! ô audaciam ſingularem! non timuiſſe, ſi minus vim Deorum. hominumq; famam, at illam ipſam noctem facéſque illas nuptiales, non limen cubiculi, non cubile filiæ,

non parietes denique ipſos ſuperiorum teſtes nuptiarum? perfregit ac proſtravit omnia cupiditate, ac furore: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amantia. Iterum poſtea in Peroratione ab adjunctis iſtius matris impietatem inſectatur, quæ filium accuſatura Romam proficiſcitur. *num.* 192. Atque his rebus &c. Verr. VII. *num.* 36. Luxuria Verris amplificatur conglobatis adjunctis itinerum & conviviorum. Ibid. *num.* 79. *& ſeqq.* Mirificè conglobantur adjuncta de victo & incenſa claſſi Rom.

Quid eſt Amplificatio ab Enumeratione partium? R. Eſt ea, in qua totum in partes diffundimus; quod item oratoribus frequentiſſimum eſt. Quintilianus *lib.* 6. 8. *cap.* 3. urbem captam deſcribit ab enumeratione partium: Apparent fusè per domos ac templa flammæ. & ruentûm toctorum fragor, & ex diverſis clamoribus unus quidem ſonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu ſuorum cohærentes, & infantûm fœminarumque ploratus, & malè uſque in illum diem ſervati fato ſenes: tum ſacrorum profanorumque direptio, efferentium prædas, repetentiumque diſcurſus, & acti ante ſuum quique prædonem catenati, & conata retinere infantem ſuum mater, & ſicubi majus lucrum eſt pugnæ inter victôres. Cicero adfert etiam illuſtrem ab enumeratione partium amplificationem poſt Red. ad Quir. *num.* 2. cùm ſe magis, quàm ante, rebus omnibus delectari dicit: Et ſi homini nihil eſt magis &c.

ARTICULUS VI.

Uſus Amplificationis, & quomodo differat ab Argumentatione.

QUis eſt uſus amplificationis, & quomodo differt ab argumentatione? R. Differt tribus: Palatium Eloquent. de Amplificat. *lect.* 5. *puncto* 1.

I Materia: nam adhibetur argumentatio ad omnia quæſtionum genera: amplificatio verò non niſi ad res magnas & graviores cauſas; in quibus eſt aliquid maximè calamitoſum indignum, lætum, triſtè, formidandum amabilè, optandum.

II. Tractatione: nam argumentatio magis preſsè & argutè proponit, ac ſedatè fertur inſtar amnis leniter

niter fluentis ; amplificatio fuſè & graviter explicat, & pelagi in morem intumeſcit figuris & affectibus.

III. Fine diſcrepat : nam finis proprius & proximus argumentationis eſt facere fidem, ſeu intelligentiam convincere : amplificationis verò movere voluntatem : unde non niſi re jam benè expoſitâ & confirmata adhibetur.

Servit tamen & fidei faciendæ, quia ubi exarſit auditor, motumque concepit, multò firmius quàm antè rebus creditis adhæreſcit.

ARTICULUS VII.

Modus variandæ Amplificationis.

Varia unam eandem Amplificationem ? ℞. Juvat hic recolere quæ hujus lib. cap. 1. artic. 10. diximus de variando Argumento per figuras : nam cùm duplex ſit Amplificatio : alia verborum, quæ in elocutione ac præſertim in figuris ſententiarum conſiſtit, hanc ibi reperies adumbratam, toto autem lib. 3. expreſſam.

Alia eſt Amplificatio rerum, quæ quatuor modis fit, vel per Congeriem locorum, & hanc quoque Amplificationem ſupra attigimus à conglobatis Rhetoricæ adoleſcenti expetendæ effectis, & conſequentibus, & adjunctis, & enumeratione. Vel per comparationem rerum: & ibidem per comparationes atque exempla. Nunc reſtat alios duos modos afferre.

Igitur iſtius propoſitionis, Rhetorica eſt adoleſcenti expetenda, argum. à definitione, quia eſt ars benè dicendi, hoc eſt, ornatè graviter, & copioſè loquendi, ſic effero per Incrementum: Quid ſenſetis, Adoleſcentes ? num ornatè eloqui & ſuaviter, tropis figuriſque ac periodis ad voluptatem aurium fluentibus, eſt diſerti hominis & laude digni ? Quid autem graviter & cum pondere argumentorum & ordine intelligentias convincere? num id eſt prudentis viri? Quid verò copioſè dicere, & amplificationum vi ac ubertate in qualibet re affectus movere, dominari in animos, voluntates quamlibet in partem pertrahere ? num iſtud demum facere, num ſic dicere, eſt eloquentis perfectique Rhetoris, quo nihil ſit divinum magis & expetendum in vita?

Per Ratiocinationem à contrariis. Quàm turpe eſt

eam non tenere ſcientiam, in qua homo homini antecellit? labi enim & errare, neſcire & decipi, & malum & fugiendum ducimus: neque ullum putamus fieri civem egregium, qui non ſit iis eloquentiæ artibus & bonis diſciplinis eruditus. Quàm igitur eſt præclarum Rhetorica præſtare!

CAPUT IV.

De Affectibus.

HÆc eſt præſtantiſſima pars inventionis, ut Orator animi affectus motuſque regat: nam cùm in hoc videatur eloquentiæ laus & triumphus, ut in animos dominetur, atque idcirco regina flexanima vocetur à Cicerone, nunquam imperitus Orator animos hominum movebit, qui non iſtam tractandorum Affectuum artem noverit.

Quid eſt Affectus? ℞. Eſt motus animi ex apprehenſione boni vel mali exortus. Quintil. *lib. 6. cap. 2.* Agricola *lib. 3. cap. 1.*

Quotuplex eſt Affectus? ℞. Duplex: alter lenis, qui placide afficit animum; alter vehemens, qui acriter, & vehementer impellit.

Quot ſunt Affectus? ℞. Secundùm aliquos authores ſunt undecim: ſex in appetitu concupiſcibili; amor, deſiderium, & gaudium circa bonum; odium, fuga, & triſtitia circa malum: quinque in appetitu iraſcibili ſpes ac deſperatio circa bonum arduum; timor, & audacia; & ira circa malum itidem arduum.

Verùm de numero affectuum plures ſunt adhuc diviſæ ſententiæ: alii undecim, ut S. Thomas; alii quatuor, ut Cicero & Boëtius: alii duos, ut Plato; alii viginti numerant. Hi à nobis ordine Affectus ſecernentur: Amor, Deſiderium, Odium, Fuga, Ira, Manſuetudo, Triſtitia, Commiſeratio, Indignatio, Invidia, Spes, Confidentia, Deſperatio, Timor, Gaudium, Æmulatio, Pudor.

ARTI-

ARTICULUS I.

Amor.

QUid eſt Amor, & quomodo movetur? ℞. Familiari conſuetudine, benevolentia, morum ſimilitudine, probitate, ac virtute, beneficentiâ, bono denique honeſto ac utili ac jucundo. Amor autem eſt affectus, quo alicui, quæ bona exiſtimantur, optamus, eaque efficere ſtudemus ejus, quem diligimus, causâ. Sic Tullius *IV. Catil.* amorem ſuum in cives ſuos patriámque teſtatur; Video P. C. in me omnium veſtrûm ora, atque oculos eſſe converſos: video vos non ſolùm de veſtro ac Reip. verùm etiam, ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſollicitos. Eſt mihi jucunda in malis, & grata in dolore veſtra erga me voluntas: ſed eam, per Deos immortales, quæſo, deponite, atque obliti ſalutis meæ de vobis ac de liberis veſtris cogitate. Mihi quidem ſi hæc conditio Conſulatûs data eſt, ut omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatuſque perferrem: feram non ſolùm fortiter, verùm etiam libenter, dummodò meis laboribus, vobis, populóq; Romano dignitas ſalu'que pariatur. *VI. Philip. num.* 17. An ego non provideam meis civibus? non dies noctéſq, de veſtra libertate, de Reip. ſalute cogitem? quid enim non debeo vobis, quem vos hominem à ſe ortum hominibus nobiliſſimis omnibus honoribus prætuliſtis? An ingratus ſum? quis minus? qui partis honoribus eoſdem geſſi in foro labores, quos in petendis. Rudis in Rep.? quis exercitatior? qui viginti jam annos bella geram cum improbis civibus. Quamobrem, Quirites, conſilio, quantum potero, excubabo pro vobis. Pro Milone quàm inſigniter tractat hunc affectum *num.* 94.

Primùm ſui amici commendat fortitudinem, propter quam miſericordiâ, & amore dignus eſt: Nolite ſi in noſtro omnium fletu nullam lachrymam aſpexiſtis Milonis, ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere; atque haud ſcio an multò etiam ſit adjuvandus magis &c. Mox Patheticâ proſopopejâ charitatem Milonis & merita erga patriam oſtendit: Me quidem, Judices, exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſiduè, & quibus interſum quotidie. Valeant, inquit, Valeant cives mei,

mei, &c. Exclamatione etiam illa merita recenſet: O fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores! ò ſpes fallaces! ò cogitationes inanes meæ? ego cùm tribunus plebis, &c.

Deindè altera proſopopeia Tullius intimum dolorem ſuum denuntiat, ſi non abſolvitur Milo, *num.* 100. Hæc tu mecum ſæpè his abſentibus, ſed iiſdem audientibus, hæc ego tecum Milo: Te quidem, &c. Tum lætatur ſe nullius unquam officii, aut periculi, aut mortis occaſionem ejus cauſa prætermiſiſſe: Nunc me una conſolatio ſuſtentat, quòd tibi, ò Tite Anni, nullum à me amoris, nullum ſtudii, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi, ego, &c.

Quamlibet fortunam amici ducit ſuam: Quid jam reſtat? quid habeo, quod dicam? Quid faciam pro tuis in me meritis, niſi ut eam fortunam quæcumque erit tua, ducam meam? non recuſo, non abnuo, &c. Undique periclitanti amico implorat auxilium, judices obteſtatur, milites appellat, qui iſti judicio præſident: Quid vos judices, quo tandem amico &c. Vos, vos appello fortiſſimi viri, qui &c. Sortem ſuam deplorat, dubitans quid reſpondebit liberis, & Q. Fratri, ſi per eos Judices, per quos revocatus eſt in patriam, retinere in patria Milonem non poſſit: O me miſerum! ò me infelicem, &c.

Reditum etiam ſuum accuſat, ſi cauſa eſt exilii Milonis: Quodnam conceps tantum ſceſus! aut quod in me tantum facinus admiſi, &c.

Denique paſſim exclamatione, & apoſtraphâ ad Deos immortales, ad Judices, ad patriam teſtatur, quantum amet Milonem. O Dii immortales, fortem, & à vobis, judices, conſervandum virum, &c.

Hiccine vir patriæ natus uſquam niſi in patria morietur! &c. O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit, &c.

Poſtremò affectum lacrymis abrumpit: Sed finis ſit; neque enim præ lacrymis jam loqui poſſum, &c.

Vide perorationes pro L. Flacco, & pro Cn. Plancio, quæ ſuaviſſimè etiam Amorem ſpirant, & mirificè declarant ejus cauſas & effecta.

ARTI-

ARTICULUS II.

Deſiderium.

QUomodo movetur Deſiderium, quod eſt appetitus boni abſentis quatenus boni? ℞. Movetur ferè ut amor? honeſtate, ac laude, bono, jucundo, vel utili. Apud Curtium *lib.* 9. Alexander deſideria militum excitat ab utili. Itaque non tam ad gloriam vos duco, quàm ad prædam. Digni eſtis, qui opes, quas illud mare littoribus invehit, referatis in patriam: digni qui nihil inexpertum, nihil metu omiſſum relinquatis.

Per vos, gloriámque veſtram, quâ humanum faſtigium exceditis, perque & mea in vos, & in me veſtra merita, quibus invicti contendimus, oro, quæſoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem alumnum, commilitonémque veſtrum, ne dicam regem, deſeratis.

ARTICULUS III.

Odium, Fuga.

QUomodo Odium excitatur? ℞. Sicut Odium & ejus definitio cognoſcitur ex amore, cui reſpondet ex adverſo: ita illius concitandi ratio, videlicet ex injuria accepta, damnoque in boni animi vel corporis, vel fortunæ: deinde ex improbitate ac vitiis; ſi quid ab aliquo factum ſuperbè, faſtidiosè, crudeliter, libidinosè, audacter, avarè, impiè &c. Hi ſunt enim fomites odii.

Præclarè Cicero pro Quinctio fraudulentum Nævium, & iniquum proſcriptorem bonorum vocat in odium. *num.* 56. Non dubitavi, *inquit*, cùm vadimonium deſertum eſſet bona proſcribere: improbè, verùm quoniam id tibi arrogas, & concedi poſtulas, concedamus. Quid ſi nunquam deſervit? ſi iſta cauſa abs te tota per ſummam fraudem & malitiam ficta eſt? quid ſi tibi vadimonium omninò cum Quinctio nullum fuit? quo te nomine appellemus? improbum? at etiamſi deſertum vadimonium eſſet, tamen in iſta poſtulatione & proſcriptione bonorum improbiſſimus reperiebare. Malitioſum? non negas. Fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi & præcla-

rum

rum putas. Audacem? cupidum? perfidioſum? vulgaria & obſoleta ſunt, res autem nova & inaudita. Quid ergo eſt? vereor &c. Pro domo ſua inviſam reddit religionem Clodii *num.* 104. O dii immortales (vos enim hæc audire cupido) P. Clodius veſtra ſacra curat? veſtrum numen colit? res omnes humanas religione veſtrâ contineri putat? hic non illudit authoritati horum omnium, qui adſunt, ſummorum virorum? non veſtra, Pontifices, gravitate abutitur? ex iſto ore religionis verbum excidere aut elabi poteſt; cùm tu eodem ore accuſando ſenatum, quòd ſeverè de religione decerneret, impuriſſimè teterriméque violaſti: Aſpicite, &c. Similiter *Philip. II. Num.* 68. contra Antonium: O audaciam immanem! tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tu illarum ædium diis Penatibus os importuniſſimum oſtendere? quam domum aliquam diu nemo aſpicere poterat, nemo ſine lacrymis præterire, hac te in domo tamdiu diverſari non pudet? in qua quamvis nihil ſapias, tamen nihil tibi poteſt eſſe jucundum, an tu illa veſtibula, roſtra, ſpolia cùm aſpexiſti, domum tuam te introire putas? fieri non poteſt, quamvis etiam ſine mente, ſine ſenſu ſis, ut es: tamen te & tua & tuos noſti. Denique VII. Verrina inſigne odium Orator conſtat Verri, propter ejus crimina, præcipuè impietatem adverſus Deos, in peroratione, quæ eſt elegans & hoc loco digna, niſi longior.

Quomodo Fuga movetur? ℞. Fuga ex odio profecta tendit in malum: ſive à malo recedere fugiendo ac deteſtando conatur. Inde oritur inimicitia complectens odium, & iram; ut vel expetatur ultio, vel pœna optetur alteri, infligaturque. Quare fuga communes locos (quos vide ſuo loco) odii & iræ habet.

ARTICULUS IV.

Ira, Manſuetudo.

QUomodo movetur Ira? ℞. Ira ab odio vix differt: nam odium eſt inveterata: Ira autem eſt libido puniendi ejus qui videatur læſiſſe injuria. Ariſtot. *lib.* 2. *cap.* 2. Quare iiſdem ferè induſtriis ac rebus commovetur Ira, atque odium. Utraque paſſio habet hec effecta, indignari, deſpicere, imprecari, ulciſci, exprobare, conviciari, minari, impotenter

tenter efferri, diſſimulare, lætari, nec expleri adverſis inimici. Vide hæc effecta eleganter expreſſa in Medea, & Atreo apud Senecam; item apud Virgilium, in Junone *lib.* 1. & Didone *lib.* 4. *Æneid.* excellunt enim Poëtæ in deſcribendis his affectibus.

Quomodo Manſuetudo, ſive Clementia commovetur? ℞. Manſuetudo, iræ contraria, definitur ab Ariſtot. 2. *Rhet. cap.* 3. depreſſio, atque ſedatio iræ. Facit ad manſuetudinem.

I. Depoſita injuriæ damnique ſuſpicio. Sic Cicero pro Dejot. pro Marcello, pro Ligario manſuetudine veniáque dignos putat iſtos, qui præter voluntatem, vel errore humano decepti, vel neceſſitate coacti in Cæſarem aliquid deliquerunt. Nam pro Marcello. *num.* 13. Atque hoc C. Cæſaris judicium, P. C. quàm latè pateat, attendite: omnes enim, qui ad illa arma fato ſumus neſcio quo Reip. miſero funeſtóque compulſi, etſi aliqua culpa tenemur erroris humani, à ſcelere certè liberati ſumus: nam cùm M. Marcellum deprecantibus vobis Reip. conſervavit: memetmihi, & item Reipub. nullo deprecante, reliquos ampliſſimos viros, & ſibi ipſis, & patriæ reddidit: quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipſo in conceſſu videtis: non ille hoſtes induxit in curiam, ſed judicavit à pleriſque ignoratione potiùs & falſo atque inani metu, quàm cupiditate aut crudelitate civile bellum eſſe ſuſceptum.

II. Facit ad Manſuetudinem culpæ confeſſio & dolor. Ut pro Ligar. *num.* 30. Ad judicem ſic agi ſolet, ſed ego ad patrem loquor: erravi, temerè feci, pœniter, ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto, ut ignoſcas, oro. Si nemo impetravit, arroganter, ſi plurimi, ut tu idem fer opem, qui ſpem dediſti.

III. Facit ad manſuetudinem humanitas, & animi demiſſio, Ut pro Publ. Quinctio, *num.* 96. Quorum ſæpè & diu ad pedes jacuit ſtratus obſecrans per deos immortales, ut aut ſecum jure contenderent, aut injuriam ſine ignominia ſibi imponerent: Denique ipſius inimici vultum ſuperbiſſimum ſubjicit: ipſius Sex. Nevii lachrymans manum apprehendit, in propinquorum bonis proſcribendis exercitatam: obſecravit per fratres ſui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipſius conjugem, & liberos, quibus proprior P. Quinctio nemo eſt, ut aliquando miſericordiam caperet aliquam, ſi non propinquitatis, at ætatis ſuæ, ſi non hominis, ac humanitatis rationem haberet, &c.

IV. Fa-

IV. Facit ad manſuetudinem probitatis commendatio. Ut ibidem in peroratione Quinctii: *Nunc cauſa perorata, &c.*

ARTICULUS V.

Commiſeratio.

QUomodo commovetur Commiſeratio? (quæ eſt ægritudo ex malo alterius injuriâ laborantis) Rþ. 1. Commutatione florentis fortunæ in adverſam. 2. Morte & orbitate amicorum. 3. Corporum cruciatibus, & morbis. 4. Egeſtate. 5. Et maximè adiunctis; vel perſonæ, ſi clara, ſi innocens, ſi benè merita; vel loci, ſi in exilio, aut ſolitudine, aut carcere; vel temporis, ſi in ſenectute, aut tenera ætate, aut diu; vel finis, ſi Dei, aut juſtitiæ cauſa quis affligitur. Ariſtot. *lib.* 2. *cap.* 8.

Cicero ex commutatione florentis fortunæ Commiſerationem ſic excitat in reum Syllam. *num.* 91. O miſerum & infelicem illum diem, quo conſul omnibus centuriis P. Sylla renunciatus eſt! ò falſam ſpem! ò volucrem fortunam! ò cæcam cupiditatem! ò præpoſteram gratulationem! quàm citò illa omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lacrymas reciderunt, ut qui paulò antè conſul deſignatus fuiſſet, retineret repentè nullum veſtigium priſtinæ dignitatis.

Ex morte amici pro Coel. *num* 59. Prò Dii immortales! cùr interdum in hominum ſceleribus maximis, aut connivetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſervatis? vidi enim, vidi, & illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vita, cùm Q. Metellus abſtraheretur è ſinu gremióque patriæ: cúmque ille vir, qui Senatum huic imperio paravit, tertio die poſtquam in Curia, in Roſtris, in Republ. floruiſſet, integerrimâ ætate, optimo habitu, maximis viribus, eriperetur indigniſſimè bonis omnibus, atque univerſæ civitati. Quo quidem tempore ille moriens cùm jam cæteris ex partibus oppreſſa mens eſſet, extremum ſpiritum ad memoriam Reipub. reſervabat, cùm me intuens flentem ſignificabat interruptis atque morientibus vocibus quanta impenderet procella urbi, quanta tempeſtas civitati.

Ex corporum cruciatu 7. Verr. *num.* 161. Cædebatur virgis in medio foro Meſſanæ civis Rom. &c.

Ibidem

Ibidem vide inſignes Commiſerationis affectus in Navarchos, quos Verres comprehendit ac necavit; & in cives Rom. quos idem Verres cædi virgis, & in Latomias conjici, & in crucem agi juſſit.

Ex egeſtate ſeu bonorum amiſſione pro Roſcio Amer. *num.* 145. Prædia mea tu poſſides: ego aliena miſericordia vivo: concedo, & quòd animus æquus eſt, & quia neceſſe eſt. Mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt, fero. Familia mea maxima uteris; ego ſervum habeo nullum; patior, & ferendum puto. Quid vis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obſto? ſi ſpoliorum cauſa vis hominem occidere, ſpoliaſti. Quid quæris amplius? ſi inimicitiarum, quæ ſunt tibi inimicitiæ cum eo, cujus anteà prædia poſſediſti, quàm ipſum cognoſti? ſin metuis: ab eó ne aliquid metuis, quem vides ipſum ab ſeſe tàm atrocem injuriam propulſare non poſſe?

Ex adjunctis perſonæ, & loci, & temporis, vide in perorationibus pro Quinctio, pro Milone, pro Plancio affectus inſignes, ſed longiores, quàm ut apponere audeam.

ARTICULUS VI.

Indignatio.

Quomodo concitatur Indignatio (quæ eſt dolor perceptus ob res ſecundas alterius, quia illa fortuna judicetur indignus)? ℞. Immerentis ac vilis perſonæ inſolentiâ in divitiis, honoribus, aliiſque bonis.

In divitias Chryſogoni iniquè partas, & præpoſteram emptionem bonorum Sex. Roſcii variè indignatur Cicero pro Roſcio Amerino: Venio nunc ad illud nomen aureum Chryſogoni, &c.

Et paulò poſt iſtas divitias eleganter inſectatur à prædiis, ſuppellectile, familiâ, luxuriâ, habitu. *num.* 133. Tum exclamat contra ejus dominationem: Hícne etiam ſeſe putat aliquid poſſe Chryſogonus? hic etiam potens eſſe vult? ò rem miſeram atque acerbam! poſtremò ejus avaritiam in turpi ac crudeli rapina inſectatur. *num.* 149. Facis injuriam, Chryſogone, ſi majorem ſpem emptionis tuæ in hujus exitio ponis, quàm in his rebus, quas L. Sylla geſſit.

ſit. Quod ſi tibi cauſa nulla eſt, cur hunc miſerum tanta calamitate affici velis, ſi tibi omnia ſua, præter animam, tradidit, nec ſibi quidquam paternum, ne monumenti quidem cauſa, reſervavit: per deos immortales, quænam iſta tanta crudelitas eſt, quæ tàm fera immaniſque natura? quis unquam prædo fuit tam nefarius? quis pirata tam barbarus, ut cùm integram prædam ſine ſanguine habere poſſet, cruenta ſpolia detrahere mallet? ſcis hunc nihil habere, nihil audere, nihil poſſe, nihil unquam contra rem tuam cogitaſſe, & tamen oppugnas eum, quem neque metuere potes, neque odiſſe debes, neque quidquam habere jam reliqui vides, quod ipſi detrahere poſſis. Niſi hoc indignum putas, quod veſtitum ſedere in judicio vides, quem tu è patrimonio, tanquam è naufragio, nudum expuliſti. Vide ſimilem indignationem pro P. Quinctio in Nævium, qui ab adoleſcentia quæſtui addictus circumvenit adverſarium, & avidiſſimè ejus bona proſcripſit.

Honores verò ſeu præfecturam claſſis Rom. commiſſam eſſe homini Syracuſano Cleomeni, cujus uxorem amabat Verres, quàm vehementer ſtomachatur idem Cicero 7. *Verr. num.* 82. Accipit navem ſociorum atque amicorum Cleomenes Syracuſanus. Quid primùm aut accuſem, aut querar, judices? Siculóne homini Legati, Quæſtoris, Prætoris denique poteſtatem, honorem, auctoritatem dari? ſi te, &c. Sic dignitatem Clodii exagitat pro Sextio *num.* 17. Sed fuit profectò quædam illam reip. fortuna fatalis, ut ille cæcus atque amens Tribunos plebis nanciſceretur. Quid dicam, conſules? hoccine ut ego appellem nomine everſores hujus imperii? proditores veſtræ dignitatis? hoſtes bonorum omnium? *&c.*

ARTICULUS VII.

Invidia.

QUomodo conflatur Invidia? R. Ad indignationem refert Invidiam, quæ in hoc differt, quòd indignatio bonum immerentis, Invidia bona digni etiam hominis inſectatur: hæc definitur dolor ex parium & ſimilium bono, quod quiſpiam ab eis nollet, quia ſuam putat minui dignitatem, poſſideri. Ariſtot. *lib.* 2. *cap.* 10. Igitur inter pares tan-

tantùm, præſertim eorumdem ſtudiorum æmulos verſatur invidia. Ita Cicero conciliat invidiam Hortenſio ob authoritatem: Res omnis mihi tecum erit, Hortenſi, dicam apertè, ſi mecum dicendo ac diluendis criminibus in hac cauſa contendere putarem, ego quoque in accuſando atque in explicandis criminibus operam conſumerem. Nunc, quoniam pugnare contra me inſtituiſti, non tam ex tua natura, quàm ex iſtius tempore & cauſa malitiosè, neceſſe eſt ejuſmodi rationi aliquo conſilio obſiſtere.

Idem Divinat. præclarè Cicer. Cæcilium vocat in invidiam, requirens in ipſo integritatem, veritatem; dicendi facultatem ad accuſandum Verrem; *num.* 27. *& ſeq.* Tu verò, Cęcili, quid poteſt? quo tempore, aut qua in re non modò cæteris ſpecimen aliquod dediſti, ſed tutè tui periculum feciſti? in mentem tibi non venit, quid negotii ſit cauſam publicam ſuſtinere, vitam alterius totam explicare, atque eam non modò in animis Judicum, ſed etiam in oculis conſpectuque omnium exponere? ſociorum ſalutem, commoda provinciarum, vim legum, gravitatem judiciorum defendere? cognoſce ex me, quoniam hoc primum tempus diſcendi nactus es, quàm multa eſſe oporteat in eo, qui alterum accuſet.

ARTICULUS VIII.

Spes, Confidentia, Deſperatio.

QUomodo erigitur Spes? R. Si honeſtas boni ejuſque magnitudo, ſi opes, & præſidia certa; & facilitas aſſequendæ rei; ſi denique præmia propoſita oſtendantur. Ariſtot. *lib.* 2. *cap.* 5. Spes autem eſt motus animi in bonum abſens, arduum, & difficile; ſed tamen quod labore acquiri poſſit. Ita rurſus Alexander diuturnis laboribus fractos militum animos ſpe eregit, & hortatur apud Curtium *lib.* 9. Veſtras manus intueor, veſtram virtutem rerum, quas geſturus ſum, vadem prædemque habeo. Quamdiu nobiſcum in acie ſtabo, nec meos, nec hoſtium exercitus numeravero. Vos modò animos mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. Non in limine operum laborumq; noſtrorum, ſed in exitu ſtamus. Pervenimus ad Solis ortum & Oceanum: niſi obſtat ignavia, inde

inde victores perdomito fine terrarum revertemur in patriam. Nolite (quod pigri agricolæ faciunt) maturos fructus per inertiam amittere è manibus. Majora ſunt periculis præmia: dives eadem & imbellis eſt regio, *&c.* Tullius tota II. Catil. ad fiduciam ſecuritatemque erigit populum Rom. jubetque non timere Catilinam jam urbe egreſſum, nec infirmas ejus copias.

Spei ſubjungo Confidentiam, ſive audaciam, quæ cernitur in periculis, quæ contemnit. Sic Tullius *exordio IV.* Catilin. nullum pro ſalute reip. periculum, nullum fatum, nullam mortem perferre dubitat. Egò ſum ille conſul, cui non forum, in quo omnis æquitas continetur; nam campus, conſularibus auſpiciis conſecratus; non curia, ſummum auxilium omnium gentium; non domus, commune perfugium; non lectus, ad quietem datus; non denique hæc ſedes honoris, cella curulis, unquam vacua mortis periculo atque inſidiis fuit. *Et paulò poſt.* Siquid obtigerit, æquo animo paratoque moriar: neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti.

Sic Verr. 7. *num.* 179. non dubitat nobilium virorum invidiam atque inimicitias ſubire. Sic pro Roſc. Amer. ſtatuit hunc defendere, *num.* 31. Quoniam quidem ſemel cauſam ſuſcepi, licet hercules undique omnes terrores, periculaque impendeant omnia, ſuccurram atque ſubibo. Certum eſt deliberatumque quæ ad cauſam pertinere arbitror, omnia non modò dicere, verùm etiam libenter, audacter, libereque dicere: nulla res tanta exiſtit, judices, ut poſſit vim mihi majorem adhibere metus, quam fides.

Ex his, quæ de Spe diximus, colligi poteſt quomodo moveatur Deſperatio, ſi difficultas rei, ſi nulla ſubſidia, ſi alicujus ignavia oſtendatur: nam Deſperatio, ſpei contraria, eſt boni cujuſpiam obtinendi, vel mali depellendi diffidentia: vel, ut Cicero definit, ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum.

ARTI-

ARTICULUS IX.

Timor.

QUomodo incutitur Timor? ℞. Propoſitis ſub oculos rebus timendis, quarum triplex eſt genus.

Unum earum, quæ cladem & perniciem adferunt; ut bellum atrox, peſtilentia, infelix æternitas. Ariſt. *l. 2. c. 5.*

Alterum earum, quæ gravem moleſtiam & dolorem pariunt; ut jactura fortunarum, honoris, parentum.

Tertium earum, quæ horum malorum præſens periculum indicant; ut ſunt potentûm minæ, portentia, funeſti aliorum exitus.

Porro Timor ſecundùm Ariſtotelem eſt perturbatio ex cogitatione imminentis mali dolorem aut mortem inferentis. Sic Cicero pro Muræna, *num.* 85. facit timorem: Sed, quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundârint? illa peſtis immanis, importuna Catilina prorumpet, quâ poterit, & jam populo Rom. minatur, in agros ſuburbanos repentè advolabit, verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas, omni autem in ſede ac loco ferrum flammamque metuemus.

Et rurſus 4. Cat. *num.* 11. Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubito uno incendio concidentem: cerno animo ſepultam patriam, miſeros atque inſepultos acervos civium: verſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi & furor in veſtra cæde bacchantis. Quapropter de ſumma ſalute veſtra, populique Rom. de veſtris conjugibus ac liberis, de fanis ac templis, de libertate, de ſalute Italiæ, deque univerſa republ. decernite diligenter, ut inſtituiſtis, ac fortiter.

ARTICULUS X.

Gaudium.

QUomodo Gaudium excitatur? ℞. Inſperato bono, novitate, & inſolentia rei, commutatione malæ fortunæ, virtute, & bonâ conſcientiâ: Oritur autem gaudium ex opinione recente boni præſentis, in quo efferri rectum eſſe videatur. Atque hunc Gaudii affectum excitat in Piſonem *num.* 52. dum reditûs ſui celebritatem ac lætiam deſcribit. Unus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, cùm in patriam redii, cùm ſenatum egreſſum vidi populumque Rom. univerſum, cùm mihi ipſa Roma propè convulſa ſedibus ſuis ad conſervatorem ſuum progredi viſa eſt, quæ me ita accepit; ut nonmodò omnium generum, ætatum, ordinum, omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ ac loci: ſed etiam mœnia ipſa viderentur, & tecta urbis, ac templa lætari, &c. Vide & hunc affectum fuſiùs in oratione ad populum, & poſt reditum ad Quirites, *&* *in Exordio II. Catilin.* Tandem aliquando. Quirites, &c.

ARTICULUS XI.

Æmulatio.

QUomodo movetur Æmulatio? ℞. Majorum exemplo clarorum virorum egregiis facinoribus, nominis gloria. Ariſtot. *lib. 3. cap. 11.* Sunt enim æmulationi obnoxia, quæ maximè præclara; ut virtus, doctrina, eloquentia, ſapientia, opes honores, magiſtratus, gloria. Juvenes præſertim æmulantur, ac nobiles, quique excelſa mente, egregiaque ſunt indole. Definitur Æmulatio, ſuſceptus ex aliena ſorte bona dolor, non quòd id alteri contigerit, ſed quòd illâ nos careamus. Cicero pro lege Manilia *num. 11.* hortatur populum Majorum exemplo ulciſci injuriam à Mithridate acceptam. Sed pro veſtri imperii dignitate, atque gloria, quoniam is eſt exorſus orationis meæ, videte, quem vobis animum ſuſcipiendum putetis. Majores veſtri ſæpè mercatoribus ac naviculatoribus injuriosiùs tractatis bella geſſerunt,

ſerunt, vos tot civium Rom. millibus uno nuncio, atque uno tempore necat.s, quo tandem animo eſſe debetis? Legati, quod erant appellati ſuperbiùs, Corinthum patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt: vos eum regem inultum eſſe patiemini, qui legatum populi Rom. conſularem vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necavit! illi libertatem civium Rom. imminutam non tulerunt? vos vitam ereptam negligetis; jus lègationis verbo violatum illi perſecuti ſunt: vos legatum populi Rom. omni ſupplicio interfectum, inultum relinquetis? videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis Imperii gloriam relinquere; ſic vobis turpiſſimum ſit illud, quod accepiſtis, tueri & conſervare non poſſe. Et I. Philip. *num.* 34. Antonium æmulari deſiderat: Utinam, Antoni, avum tuum meminiſſes; de quo tamen multa audiviſti ex me ſæpiſſimè. Putaſne illum immortalitatem mereri voluiſſe, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur? illa, illa erat vita, illa ſecunda fortuna, libertate eſſe parem cum cæteris, principem dignitate. Quare flecte te, quæſo & majores tuos reſpice, atque ita guberna remp. ut natum eſſe te cives tui gaudeant: ſine quo nec beatus eſſe, nec clarus quiſquam poteſt. Et pro Sextio *num.* 136. Romanam juventutem excitat ad æmulationem clarorum virorum: Vos, adoleſcentes, & qui nobiles eſtis, ad majorum veſtrorum imitationem excitabo, & qui ingenio & virtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem, in qua multi homines novi & honore, & gloriâ floruerunt, cohortabor. Hæc eſt una via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris.

Et ibid. *num.* 102. Hæc imitamini, per deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis. Hæc ampla ſunt, hæc divina, hæc immortalia, hæc famâ celebrantur, monumentis annalium mandatur, poſteritati propagantur. Eſt labor, non nego, pericula multa, fateor: multæ inſidiæ ſunt bonis, veriſſimè dictum eſt, &c.

ARTICULUS XII.

Pudor.

QUomodo movetur Pudor? ℞. Iis omnibus, quæ aliquod dedecus & infamiam adferunt, ut patet ex definitione: Ariſtot. *lib.* 3. *cap.* 6. Pudor enim eſt dolor ac perturbatio ex malis aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant. Contrà impudentia eſt, eadem parvi ducere & illis non affici. Cicero pro lege Manilia, *num.* 7. Et, quoniam ſemper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque avidi laudis fuiſtis, delenda eſt vobis illa macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta; quæ penitùs jam inſedit atque inveteravit in populi Rom. nomine: quòd is, qui una die totâ Aſiâ, tot in civitatibus, uno nuntio, atque una litterarum ſignificatione cives Rom. necandos trucidandoſque denotavit, non modò adhuc pœnam nullam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum jam tertium & viceſimum regnat, & ita regnat, ut ſe non Ponto, neque Cappadociæ latebris occultare velit, ſed emergere è patrio regno, atque in veſtris vectigalibus, hoc eſt, in Aſia luce verſari. Sic 7. Verr. pudorem concitat Orator ab inope ac infirma claſſe populi Rom. portu egrediente, præfecto Cleomene, luxurioſo prætore Verre. *num.* 85. Egreditur præclara claſſis in ſpeciem, ſed inops & infirma, &c. Mox à turpi fuga & incendio iſtius claſſis, *num.* 90. O tempus miſerum atque acerbum provinciæ Siciliæ! ô caſum illum multis innocentibus calamitoſum atque funeſtum! ô iſtius nequitiam ac turpitudinem ſingularem! una atque eadem nox erat, qua prætor amoris turpiſſimi flammâ ac claſſis populi Rom. prædonum incendio conflagrabat: &c.

Tum ab inſolente victoria piratarum, qui portum Syracuſanum ingreſſi inſultârunt claſſi populi Rom. *num.* 95. Prô Dii immortales! pyraticus Mioparo, cùm imperium populi Rom. nomen ac faſces eſſent Syracuſis, uſque ad forum Syracuſanum & ad omnes urbis crepidines acceſſit, quò neque Carthaginenſium

glo-

glorioſiſſimæ claſſes, cùm mari plurimum poſſint, multis bellis ſæpè conatæ, nunquam aſpirare potuerunt, &c. O ſpectaculum miſerum atque acerbum! ludibrio eſſe urbis gloriam, populi Rom. nomen, &c. Præclarus eſt hic locus ab initio.

ARTICULUS XLII.

Uſus Affectuum

QUis eſt Uſus Affectuum? R. Affectus docet Agricola rebus & oratione moveri; multò autem maximè rebus. Ac in oratione quidem uſus eſt Affectuum, ſi verba ſint ingenioſè & aptè ad amplificationem motumque compoſita: item ſi majores figuræ; ut hypotipoſis, proſopopœja, exclamatio, apoſtrophe, interrogatio, obſecratio, & ſimiles, in quibus eſt vis, adhibeantur: in rebus autem, ſi ante fuerint ita argumentis demonſtratæ, ut proxima ſit voluntas aſſentiendi; aliàs fruſtrà hanc potentiam, quæ eſt cœca, ad amorem fugàmve ignoti pertrahas.

Deinde diligenter monet Quintilianus, ut ſenſim cum oratione & amplificatione creſcat Affectus; quia facilè deficit affectus, qui deſcendit: ſed neque is brevior ſit, quàm dignitas rei poſtulet, neque etiam prolixior, ne diuturnitate langueſcat.

Tum ut qui commovere alios velimus, priùs commoveamur: & qui lacrymas aliis excutere conamur, in fletum primùm prorumpamus ipſi. Præterea ut orationi res præſentes adjiciamus: nihil eſt enim potentius ad movendos animos, quam præſentis rei conſpectus. Detegendæ igitur ſunt in adverſo pectore cicatrices; parentum cognatorumque lacrymæ; infantium, puerorum ætas; reorum ſqualor & ſordes proferenda ab oculos, & præſentibus aptanda oratio, quarum rerum ingens plerumque vis eſt. Sic populum Rom. egit in furorem prætexta C. Cæſaris prolata in foro cruenta. Sic M. Antonius Orator cicatrices M. Aquilii oſtendit.

Huc accedere debet actio Oratoris & lacrymæ: ſimul & clientis obſecratio, invocatio, proſtratio, neque enim crediderit quiſquam tam paratas fuiſſe po-

pulo Rom. lacrymas, ut qualibuſcumque epilogorum Ciceronis verbis in fletum prorumperet, niſi inſignium reorum ante oculos poſita calamitate & actione, flebilibus modis quibuſdam, & ante omnia manantibus ubertim lacrymis iſta Ciceronis commendarentur.

Inſuper opportet ſæpè Oratorem inſinuatione callida, ſurtim, & quaſi aliud agendo movere affectus: ne vi, aut artificio auditorum animos velle videantur inflectere, aut contrariis etiam Affectibus occupatos frangere: ſatius eſt occaſioni ſervire, & reluctantem animum, velut per cuniculos, expugnare.

Denique populorum, ſexuum, ætatum, conditionumque varios motus & affectiones cognoſcat Orator, priuſquam permoveat: nam pueri & adoleſcentes lætos affectus amant, teneros fœminæ, juſtique ſenes; at viri gravibus moventur. Sic cuique nationi, inquam, ſuus eſt affectus, ſic conditioni, ſic ætati.

ARTICULUS XIV.

Inventio Affectuum.

Unde ſumitur Affectus? R. Sumitur eiſdem locis omnibus Oratoris, quibus argumenta. v.g. A definitione, Cic. 4. *Tuſc. Quæſt.* O vita Philoſophiæ dux! ô ſapientiſſima morum magiſtra! ô vera felicitatis parens! &c.

A conſequentibus, *pro Milone*: Hiccine vir patriæ natus uſquam, niſi in patria, morietur! ô terram illam beatam!

A contrariis item *pro Milone*: Eſt enim hæc, judices, non ſcripta, ſed nata lex.

Ab effectis eâdem Milonianâ: Dura mihi mediùs fidiùs fortuna &c. ô fruſtra mei ſuſcepti labores! ô ſpes fallaces!

Denique à ſimilitudine, ab adjunctis, ab exemplo paſſim Cicero Affectus ſuppeditat.

ARTICULUS XV.

Cauſa Affectuum.

QUænam eſt cauſa Affectuum? R. Cauſa Affectuum, uti Amplificationis, ſunt res magnæ. Cicero *in partit.*

Quotuplex eſt Magnorum genus? R. Duplex: Alia enim magna naturâ videntur, alia uſu. Naturâ; ut cœleſtia, ut divina, ut ea, quorum obſcuræ cauſæ, ut in terris mundoque admirabilia quæ ſunt. Uſu, quæ videntur hominibus aut prodeſſe, aut obeſſe vehementiùs: quorum ſunt genera ad amplificandum, & ad Affectus concitandos tria. Nam aut charitate moventur homines; ut Dei, ut parentum: aut amore, ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut familiarium: aut honeſtate; ut virtutum, maximeque earum, quæ ad communionem hominum, & liberalitatem valent. Ex iis & cohortationes ſummuntur ad ea retinenda, & in eos, à quibus ea violata ſunt, odia incitantur, & miſeratio naſcitur in iis rebus aut amiſſis, aut amittendi periculo. Hæc Cicero.

ARTICULUS XVI.

Modus variandorum Affectuum.

NE fuſior ſit hic Articulus, contraham exempla, & accommodabo juventuti: ſed animadverte quod diximus, affectus erui è locis, & maximè fieri amplificationibus rerum, & figuris ſententiarum.

Varia eundem affectum? R. Sit de Matre v.g. occiſum in bello filium deplorante hic affectus.

Amoris. Quis ſit animus matris in liberos, quotuſquiſque intelligit? tum denique ego amare filium didici, cùm infeliciſſimè in bello perdidi. O miſera ſors orbitatis meæ! ô ſpes fallaces! ô fruſtrà ſuſceptæ curæ? ac idcirco te genueram, fili, ut eſſes, quem triſti morte ſublatum lugerem? ego cùm te formâ & ætate florentem videbam, ego cùm te familiæ columen

 ſinu

ſinu fovebam: mihi certam ſalutem tuam pollicebar. Putavi, ſperavi, credulam eventus fefellit. Nunc vehementiſſimè doleo omnia ex ſpe & voluptate ad calamitatem & orbitatem excidiſſe. Itaque, fili, tuâ morte matris vitam abſtuliſti, ipſique vivæ flentique funus duxiſti: neque enim te mortuo diu ſuperſtes eſſe poſſum.

Deſiderii. Ego te non requiram, nate? aut poſſim tui unquam oblviſci? aut aliquid à me præter ſuſpiria & lacrymas habebis? ipſæ, ipſæ dulces lachrymæ, ipſi fletus jucundi, quibus animi dolor & deſiderium tui, nate, explebitur. O non amari dies, quibus charum filium animo & recordatione complectar, aſpiciam, alloquar, oſculabor! ô non flebiles noctes, quæ nullius aut modici ſomni ſocium & comitem non importunum refertis.

Odii. Quantum, quàmque immane monſtrum eſſe bellum, & apud quos conceptum dicemus? vah portentum! vah labes? vah gurges & charybdis infauſta! quot hominum ſanguinem guſtaſti, vel potiùs exorbuiſti? quot tu fortes viros, robur patriæ; quot claros juvenes, florem nobilitatis, quot adultos jam liberos; ſpem ac delicias familiarum, quos ad fortunam vita ſervabat, crudeliſſimè contrucidaſti? Nunquam ego immanitatem tuam tacebo, quam in ipſam me parentem ac meum filium adhibuiſti: nunquam imprecari tibi, & exprobrare, & perſequi te deſinam.

Fuga. Perhorreſcite, matres, deteſtata jampridem bella; has voragines ſcopuloſque filiorum noſtrorum fugite. Nulla jam tot annis jactura & clades exiſtit, niſi bello: nulla vis, nulla fax, nullum flagitium, nulla cædes ſine bello. Procul bellum è finibus noſtris in Turcas & Barbaros! Bellum omnis matrona fugit oculis, reſpuit animo, recordatione perhorreſcit.

Ira. Cernitis percuſſorem filii: an ſola mater video? non videtis furorem hoſtium? non repentinum impetum? non verſatur ante oculos vobis in cæde nefarius miles? non adeſt barbarus? non ſuis manibus intentat enſem? non filii jugulum procidit? Perditiſſimè mortalium, quid te ſceleratius? iſtam ego furiam exagitabo? non repetam ſanguinem filii? non vindicem Deum appellabo?

Manſuetudinis. Ah miles! ſic te alloquitur filius, ſic te intuens & graviter ſaucius fidem implorat:

Quo-

Quoniam varius eſt belli exitus, & Mars fortiſſimum ſæpè ex acie tollit; noli mecum ſic agere: gloriæ non ſatis vixi: noli juvenilem atque in herba ſpem reſecare; noli amplitudinem an mi brevis vitæ termino circumſcribere. Precor ac quæſo, da aliquid vel hoſti, permitte ſupplici, cede afflicto. Per victricem dextram illam, quàm apprehendo; per iſtius belli pericula, quorum tu es particeps per decus & nomen, quod magno labore quærimus, te ore atque obteſtor.

Commiſerationis. Adeſtis amici, verùm quo tandem animo adeſtis? utrum ego amnes ſum, & pluſquam ſatis eſt doleo in tanta calamitate & morte filii? an vos quoque hic obitus & mœror pari ſenſu doloris afficit? nam ſi non ad amicos, ſi non ad homines, verùm ad beſtias, aut etiam, ut longiùs progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine ad ſaxa & ſcopulos hæc conqueri ac deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima tam crudeli morte filii moverentur: nunc verò cùm pietatem veſtram & amicitiam obteſtor, non vereor ne non miſericordiam tribuatis aliquam fortiſſimo juveni in ætatis flore, pro patria & Catholica fide perempto.

Indignationis. Deus immortalis! quonam fato fieri dicam, ut fortis occidatur ab inerti, ſtrenuus ab ignavo, clarus ab abjecto! hoc verò quis ferre poſſit meticuloſum militem egregii ducis cruenta ſpolia prædicare; gloriari, præ ſe ferre? vel inſolenter in lectiſſimi juvenis cæde bacchari? & tanquam ſi palmare facinus edidiſſet, exultare gaudio, triumphum petere, acclamatione ac plauſu improborum efferri.

Invidiæ. Non eſt profectò, non eſt, quòd matronæ deinceps orbitatem meam deſpiciant; non eſt, quòd intolerantius ſe jactent; non eſt, quòd ſe cum dilectis filiis ſuis oſtentent: nam ſi iſti ſubduxerint ſe prælio, ſi redierint ad gremium, & complexus matrum; tamen hæ digniores nobis aliquo honore videbuntur? tamen, de gloria, ac fortitudine contendent? tamen eximiæ ſint hæ matres! non id arbitror quidem certè, nec eſſe tanta iſtorum militum merita, quanta inſolentia harum matrum, quantumque faſtidium.

Spei. Etſi omnis ſpes mea, fili, cum ſalute tua occubuit, erigo me nonnunquam, & futura proſpi-

ꝛio, quaſi fortunata ſit mors tua. Communicabo, ni fallor, cum gloria tua, veniam in partem meritorum, triumphabit mater de morte filii: negat enim patria, pro qua fortiter occidiſti, negat ſe ingiatam eſſe. negat ſuperſtitem matrem carere propoſitis honoribus debere. Hæc illa me ſpes alit, & excitat: vives in glorioſa matre filius: quid perdiderim non reputabo; quid morte tua acquiſierim, id æſtimabo?

Confidentiæ ſeu *audaciæ*. Ego te mortuum cum mea ſalute complector, fili, nec me ſolam tuæ mortis commiſerantem, ſed comitem habebis. Urinam hoc pectus gladiis objicere, & adverſa, fili, tua vulnera recipere potuiſſem, nullam ego acerbitatem nullam impreſſionem, nullam vim pertimuiſſem, ut te manibus armatorum hoſtium eripuiſſem. Sed nunc mori non refugio, laceſſo mortem, & provoco, ut properet, ut nos ocyùs uno eodemque tumulo conjungat.

Deſperationis. Actus eſt; periit: nequidquam homines, ſuperoſque implorem: mors immanſueta mitigari non potuit, nec jam precibus infernus recludetur: neque ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi opis expectabo. Omnia ſunt in hoc funere miſera. Quid mihi reſtat, niſi ſolitudo, aut mortis conſilium, aut vita morte accerbior?

Timoris. Vos teſtor, cœlites, ego equidem bellorum rabiem ac furorem in iſtis armorum motibus ſemper filio putavi eſſe fugiendum. Signa, & tubæ, pulſataque tympana præſagienti matri ſemper metum atque horrorem attulerunt. Tum ſi quis è commilitionibus filii in pugna audiebatur cęſus eſſe, augebatur metus mali appropinquantis: quare animus cum languore corporis ac timore debilitatus incidit in varia viſa & incerta, quorum perturbatione triſtes ſæpè extiterunt ſpecies ſomniorum, quę flebilem illam mortem portenderunt.

Gaudii. Quia! ego lugeam illum, qui ſe defleri vetat? vivit filius inter cælites, & qui extremum ſpiritum in victoria effudit, heroum eſt ſedem & locum conſecutus. O fortunata mors! ô felicem & beatum diem! quem mihi, & patriæ, & filio natalem ſuperi eſſe voluerunt? itaque, quod ne optandum quidem eſt homini, immortalitatem quamdam per te, & tecum; fili, videor adepta.

Æmulationis. Generoſi juvenes, quorum erectos

atque

atque alacres animos bellum excitat ad pugnam reſpicite, reſpicite filium, ejuſque res geſtas imitamini. Hanc vobis ſanguine ſuo viam ſignavit & laudis, & fortitudinis, & immortalitatis. Sic ille ſe non ſibi, aut matri natum: ſed patriæ, ſed gloriæ eſſe voluit; ſic ille in acie fortiter occumbere maluit, quàm redire turpiter. Num hæc regium juvenem collocant in ampliſſimo gradu dignitatis.

Pudoris. Dii faciunt, ut multi belli mentionem facere audeant! nam ſimul ut increbuit ſuſpicio pugnæ, cedunt campo; ubi dimicandum eſt, terga vertunt. O milites! num eſt periculum, ut iſti denudent ſeſe, & cicatrices adverſo corpore exceptas oſtendant, niſi morſus ruſticorum, quos iniquiſſimè vexarunt; aut viatorum imparatorum, quos ſpoliârunt, impreſſa unguium veſtigia; aut rixantium inter pocula immanes plagas exhibeant. O diſpares milites filio, qui amavit unicè gloriam. Sed hunc deplorandi ſit finis.

CAPUT V.

De Inventione in particulari.

ETſi ex ſupradictis fontibus omnis ad omnem orationem manat Inventio: tamen veteres Oratores de triplici genere quæſtionum ſeorſim præcepta tradiderunt, quæ nos brevi perſtringemus.

ARTICULUS I.

De iis, quæ ſpeciatim pertinent ad Inventionem in genere Demonſtrativo.

QUæ ſpeciatim invenienda ſunt Oratori in genere Demonſtrativo? R. Quæ laudet, vel vituperet.

Quæ ſunt Laude digna? R. Perſonæ & res.

Unde laudantur perſonæ? R. Ab adjunctis internis, & externis. Cicero *de Orat.* 3. Quintilian. *lib.* 3. *cap.* 7.

Quænam ſunt adjuncta interna ſeu animi? R. Sunt virtutes, vel cognitionis ſeu ſcientiæ; *ut*, Prudentia, Sapientia, Dialectica, Eloquentia; vel actionis, *ut*, Religio in Deum, Pietas in parentes, Juſtitia in omnes, Temperantia, Verecundia.

Harum virtutum laus ampla eſt, quando unaquæque in ſuas partes atque officia diſtribuitur; ut, ſi laudare charitatem velis, partes illius; hoc eſt, fidem, benevolentiam, conſtantiam, & officia, in proſperis rebus, ſine ſpe mercedis, amici causâ, adverſiſque ferendis enumeres. Ita Cicero pro lege Manil. virtutes Imperatoris Pompeii laudat. Et pro Marcello clementiam Cæſaris. Et pro Archia ſtudia humanitatis. Et Philipp. 9. S. Sulpitii ſcientiam, dignitatem, fortitudinem.

Quænam ſunt adjuncta externa? R. Dona fortunæ, *ut*, Educatio, Opes, Divitiæ, Propinqui, Amici, Potentia, Gratia, cæteraque hujuſmodi. In corpore verò ſunt hæc; Forma, Vires, Valetudo, & his ſimilia alibi item enumerata.

Qui hæc habuerit, laudabitur, quòd benè illis ſit uſus: ſi non habuerit, quòd ſapienter caruerit: ſi amiſerit, quòd moderatè tulerit.

Quòd ſunt tempora, ſecundùm quæ homo laudari poteſt? R. Tria.

I. Quod vitam anteceſſit, in quo ſpectantur reſponſa, vel oracula, vel ſigna, quæ futuram claritatem indicârunt. Item natio, patria, genus: hæc ſi clara, pulchrum erit eorum ſplendori reſpondiſſe; ſi obſcura & humilia, laus erit nobilitaſſe factis.

II. Tem-

II. Tempus eſt vitæ; ut pueritiæ, in qua ſpectatur indoles, pulchritudo, educatio, ut adoleſcentiæ, in qua attenduntur mores, virtutum ſtudia & artium; ut virilis ætatis, in qua vitæ genus ac dignitas, dicta, factaque præclarè, privatim, ac publicè conſiderantur; ut ſenectutis, in qua laudatur prudentia, conſilium, religio, conſtantia.

III. Tempus eſt, quod mortem inſequitur, in quo ipſum mortis genus, ac decreti honores, pompaque funebris, ac deſiderium mortui, recta inſtitutio liberorum, multaque ab ipſo inventa inſtitutaque prædicantur.

Quænam res laudantur? R. Quæ ſunt honeſtæ: bruta quoque animantia, & carentia animâ, ut urbes, flumina laudari poſſunt. Quintil. *ibid.*

Unde urbium ac regionum laus ducitur? R.

I. A conditoribus.

II. A vetuſtate.

III. Ab incolis ipſorumque rebus geſtis.

IV. A ſitu, munitione, cœli clementia.

V. A Reip. forma, inſtitutis, artibus, opibus. Laus agrorum ab amœnitate loci, à fertilitate & ubertate frugum & fructum, à cultura, prediis: & ſic de cæteris.

Poſtremum duo animadverte.

I. Confici hoc genus laudis ad animi motus leniter tractandos magis, quàm ad fidem faciendam: proprium enim laudis eſt res amplificare, & delectando ornare.

II. In vituperationibus ſervanda contraria omnia illis, quæ de laudatione diximus. Quod in orationibus Cicer. in Piſonem, In Vatinium, In M. Antonium colligere licet.

Ad genus demonſtrativum ſolent referri Gratulatio, gratiarum actio, oratio funebris, & ſimilia; quæ propè iiſdem ac ſuprà traditis preceptis continentur.

DE ARTE

ARTICULUS II.

De iis, quæ ſpeciatim pertinent, ad Inventionem in genere Deliberativo.

QUæ ſpeciatim invenienda ſunt Oratori in genere Deliberativo; R̸. Ea, quibus ſuadeat quidpiam vel diſſuadeat.

Quidnam valet ad ſuadendum? R̸. Quod honeſtum eſſe oſtenditur, utile, neceſſarium, poſſibile, facile, jucundum. Ad diſſuadendum valeat, quod his eſſe contrarium monſtramus. Cicero de Orat. *lib.* 2.

Honeſtum eſt autem inquit Cic. *in partit.* & Ariſtot. Rhetor. *lib.* 1. *cap.* 4. quod per ſe laudabile eſt, ac propter ſe expetendum; ut virtutes. Utile, quod propter commodum experitur, ſive adjunctam habeat honeſtatem, ut gloria, honor, dignitas; ſive non habeat, ut divitiæ, valetudo. Neceſſarium, ſine quo ſalus; aut dignitas ſtare non poteſt; aut vix poteſt. Poſſibile, quod fieri aut eſſe poteſt. Facile, quod parvo negotio. Jucundum, quod honeſtam habet voluptatem.

Quæ ſunt in ſuadendo, vel diſſuandendo ſpectanda? R̸. I. Res quæ ſuadetur. II. Apud quos ſuadetur. III. Is, qui ſuadet. Quintil. *lib.* 3. *cap.* 8.

I. Res, quæ ſuadetur, eſſe, ſeu fieri poteſt, vel non: ſi non, ſuaſio tollitur. Si poteſt eſſe ſeu fieri, vel eſt honeſta, vel utilis; ſi honeſta, hanc apud homines honeſtos facile eſt ſuadere; apud turpes non ita, qui utilitate magis, aut etiam metu ſolent moveri. Si res utilis ſit, eſſe facilis oſtendetur, & magna, & jucunda, & ſine periculo. Diſſuaſor autem rem oſtendet eſſe difficilem, & parvi momenti, nullam in ea jucunditatem, plurima verò eſſe pericula.

II. Cùm duo (ut citato libro Cicero, & Ariſtoteles Rhæt. *lib.* 2. *cap.* 12. *& ſeq.*) ſint hominum genera, alterum indoctum & agreſte, quod antefert ſemper utilitatem honeſtati; alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponit: apud hos, & iſtos variè ſuadendum eſt; ac videndum imprimis, qui quibus magis feriantur, an utilitate, an honeſtate, an voluptate.

III. Spe-

III. Spectanda eſt in eo, qui ſuadet, virtus, ſapientia, honeſtas, eloquentia, ut poſſit mente providere, authoritate probarè, & perſuadere oratione, & vitæ exemplo præire. Nam ſuadere aliquid, aut diſſuadere non eſt omnium, ſed graviſſimæ perſonæ, & Sanctæ, & ſapientis, & honeſtæ, & deſertæ.

Huc revocantur ſuaſionis quædam quaſi partes, ſeu ſpecies; ut adhortatio, commonitio, commendatio, conſolatio, his non immoramur, quia nihil admodum particularè habent.

Eſt inſigne exemplum generis Deliberativi apud Ciceronem Philipp. VII. ubi pacem cum Antonio diſſuadens, hæc ſubjicit: Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt, quia pernicioſa, quia eſſe non poteſt. Quæ tria dum explico, peto à vobis, P. C. ut eadem benignitate, quâ ſoletis, verba mea audiatis.

I. A Turpi, diſſuaſio: Quid eſt inconſtantia, mobilitate, levitate, cum ſingulis hominibus, tum verò univerſo ſenatui turpius? Hæc Major. Sequitur jam Minor. Quid porro inconſtantius, quàm quem modo hoſtem non verbo, ſed re multis decretis judicaviſtis, cum hoc pace velle ſubitò conjungi? Mox Antonium hoſtem à ſenatu judicatum plurimis argumentis probat. Dein confutato quod de legatis ad Antonium miſſis objici poterat, concludit retinendam eſſe ſenatui conſtantiam, gravitatem, & perſeverantiam. Atque hactenus quidem de Turpitudine.

II. A Periculo. Dicam deinceps ut propoſui de periculo. Quod etſi minus eſt fugiendum, quàm turpitudo, tamen offendit animos majoris partis hominum magis. Mox quid ab Antonio periculi metuendum, breviter exponit: videlicet quod & nemo Antonii potentiam, ſi factâ pace reverſus in civitatem fuerit, ſuſtinere poſſe videatur, & ad M. ipſum Antonium omni motu concurſus civium perditorum ſit futurus.

III. Ab impoſſibili. Dixi de periculo, docebo ne coagmentari quidem poſſe pacem. De tribus enim, quæ propoſui, hoc extremum eſt. Quæ poteſt eſſe pax M. Antonio primùm cum ſenatu? quo ore ille vos poterint, quibus vos illum viciſſim oculis intueri? quis veſtrûm illum, quem ille veſtrûm non oderit? age vos ille ſolùm, & vos illum. Quid ii, qui Mutinam circumſident? qui in Gallia delectus habent? qui in veſtras for-

tunas

tunas imminent? amici vobis unquam erunt, aut vos illis? An equites Rom. ampleſtetur, *&c.*

Concluſio. Nolite igitur id velle, quod fieri non poteſt. Et cavete, per deos immortales, P. C. ne ſpe præſentis pacis perpetuam pacem amittatis. Hæc vide fuſius in noſtra Analyſi.

ARTICULUS III.

De iis, quæ ſpeciatim pertinet ad Inventionem in genere Judiciali.

QUæ ſpeciatim invenienda ſunt Oratori in genere Judiciali? R. Quæ accuſet, vel defendat. Verùm quia jam omnis propè judiciorum ratio mutata eſt, non ex veteribus, ſed ex jure novo, & locorum, in quibus perorantur cauſæ; conſuetudine ac moribus repetenda ſunt. Ad hoc tamen genus pertinent quædam Quæſtiones, quæ Rhetoribus ſtatus dicuntur, quòd in iis cauſſa conſiſtat. de his hic brevibus agendum eſt.

Quid eſt Status? R. Eſt quæſtio, quæ ex prima cauſarum conflictione naſcitur: *ut*, Si accuſator dicat, reus occidit, defenſor reus non occidit: ſtatus eſt hæc quæſtio, An occiderit: quia in ea quæſtione tota cauſa ſtat, & ſiſtit; idcircò cauſæ ſtatus eſt. Quintil. *lib.* 5. *cap.* 6.

Quod ejuſmodi ſtatus in cauſſis eſſe poſſunt? R. Tres. Cicero *in Topic. & partit.*

I. An ſit Res, nec ne; diciturque ſtatus conjecturalis, quòd in eo conjecturis veritas indagetur: *ut*, An Miloni inſidiatus ſit Clodius.

II. Quid ſit Res, & quo nomine appellanda; diciturque ſtatus definitionis, ſeu finitivus, quòd in eo facti, vel rei nomen definiatur: *ut*, An Julius Cæſar tyrannus fuerit, vel rex.

III. Qualis ſit Res, & dicitur ſtatus qualitatis, quòd in eo quæritur, qualis ſit Res, an honeſta, an æqua, an iniqua: *ut*, An cædes Clodii utilis, honeſta, & æqua fuerit. An jure Cicero Lentulum Catilinariæ conjurationis ſocium occidi juſſerit.

Huc pertinet quærendum quid ſit Ratio? R. Eſt, quæ affertur ad depellendum crimen, quaque proinde Reum rationabiliter tuetur defenſor.

Quid

Quid eſt Firmamentum? R. Eſt, quod affertur ad probandum crimen, quoque proinde firmatur contra Reum accuſatoris ratio.

Quid eſt Judicatio? R. Eſt ſtatus ille, ſeu quæſtio jam dicta, quæ ex rationis & firmamenti conflictione oritur: quæque proinde vocatur etiam Judicatio, quod in judicium veniat.

Quanquam ſtatus maximè dicitur, cùm conſideratur nudè ſine ratione & firmamento: judicatio verò, quando cum ratione juncta ſumitur.

LIBER

LIBER SECUNDUS
DE
SECUNDA PARTE
RHETORICÆ,
SEU
DE DISPOSITIONE.

QUid eſt Diſpoſitio? R. Definitur à Cicerone rerum inventarum in ordinem diſtributio. Cicero *de invent.* Quintil. *lib.* 7. *in prof.* Quæ pars non minus utilis & neceſſaria eſt ad fidem & motum, quàm inſtructa ad pugnam, ac victoriam acies: aut in corpore humano conformatio membrorum ad gratiam pulchritudinemque.

Quotuplex eſt Diſpoſitio? R. Duplex: naturalis, & artificioſa: hæc longo uſu & arte nititur: illa ſine arte, inſtinctu quodam naturæ fit. Num ita ſunt omnes à natura comparati, ut ſi quis quid dicturus ſit apud aliquem exordii vice præmittat aliquid, quo benevolum ſibi faciat, & attentum, aut cauſam dicendo explicet; tum rem exponat, explicatam confirmet rationibus, denique preces & motus adhibeat ad flectendum accomodatos: quæ ſine præceptis omnia conficit.

Quot ſunt partes Artificioſæ Diſpoſitionis? R. Quatuor: Exordium, Narratio, Contentio, Peroratio: quarum duæ valent ad fidem faciendam, Narratio & Contentio: duæ ad motum, Exordium & Peroratio. Cicero *in partit.* Exordio præparamus auditorem: Narratione rem & cauſam exponimus: Con-

Contentione cùm noſtra tuemur, & defendimus tum adverſariorum objecta refellimus: Peroratione concludimus.

Quamquam, ſi rigidè agitur de partibus neceſſariis ac perpetuis, tres ſunt tantùm, & in omni oratione partes neceſſariæ: exordium, contentio, peroratio. Nam in exornatione & deliberatione, non adhibetur narratio, ſed tamen variis in locis quædam narratiunculæ inſeri queunt, vel ad laudem, vel ad ſuaſionem. Quod facit Cicero pro lege Manil. *num.* 4. ubi Narrat bellum grave periculoſum Romanis inferri à duobus Aſiæ potentiſſimis Regibus: in Cucullum ab eo bello diſcedere. Catilinaria 3. Conſtat narratione conjurationis detectæ. Uti oratio pro Sextio narratione eorum, quæ in tribunatu geſſit P. Sextius, & alibi.

Quid in his ſingulis partibus de argumentorum & effectuum Diſpoſitione ſentiendum eſt? ℞. Fortia argumenta initio collocanda ſunt, mediocria in medio, poſtremo loco fortiſſima. Quintilian. *lib.* 6. *cap.* 1.

Deinde cavendum eſt ſemper, ut ita diſponamus argumenta, ut non ſolùm unum poſt aliud, ſed etiam unum ex alio duci videatur: ſcrutari proinde opportebit, quæ argumenta affinitatem habeant, ut connectere faciliùs illa poſſimus; quod mirum eſt, quàm juvet ad Tranſitiones.

Cavendum etiam, ut ita diſponantur, ut ſemper creſpat oratio, & ſemper plus aliquid, & majus dicere videamur. Eadem cavenda in Affectibus.

Præterea Affectus licet maximè in exordio lenes, in Peroratione vehementes dominentur, optimè per totam Orationem ſpargi poſſunt, & debent: præſertim poſt narrationem vel re expoſitâ, vel argumentis noſtris confirmatis, vel contrariis confutatis.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De Exordio.

HÆc pars magni momenti, eſt, atque elaboranda: Prima eſt enim quaſi cognitio, & commendatio oratoris. Cicero *de invent.* Quintil. *lib.* 4. *cap.* 1.

Quid eſt Exordium? R. Eſt pars orationis, quæ auditoris animum idoneè comparat ad reliquam dictionem.

Quotuplex eſt Exordium? R. Triplex Ciceroni, & Quintiliano eſt viſum: legitimum, abruptum, & inſinuatio.

ARTICULUS I.

QUod eſt Exordium Legitimum, ſeu Juſtum? R. Eſt illud in quo apertè auditores benevolos, attentos, & dociles reddimus. Etenim hoc efficere conamur in Exordiis (inquit in Partitionibus Cicero) ut amicè, ut intelligenter, ut attentè audiamur. Cicero *de invent. lib.* 1.

Unde Exordio Legitimo captatur benevolentia? R. Ex quatuor locis: Ab noſtra, ab adverſariorum, ab Judicum perſona, ab ipſa cauſa. Ab noſtra, ſi de noſtris factis & officiis ſine arrogantia dicemus: ſi crimina illata, & aliquas minus honeſtas ſuſpiciones injectas diluemus; ſi quæ incommoda acciderint, aut quæ inſtent difficultates, proferemus: ſi prece & obſecratione humili ac ſupplici utemur. Ab adverſariorum autem, ſi eos aut in odium, aut in invidiam, aut in contemptionem perducemus. In odium adducentur: ſi quid eorum ſpurcè, ſuperbè, crudeliter, malitioſè factum proferetur. In invidiam ſi vis eorum, potentia, divitiæ, cognatio, pecuniæ

pro-

proferentur, atque eorum uſus arrogans, & intolerabilis, ut his rebus magis videantur, quàm cauſæ ſuæ confidere. In contemptionem adducentur, ſi eorum inertia, negligentia, ignavia, deſidioſum ſtudium, & luxurioſum otium proferetur. Ab auditorum perſona benevolentia captabitur, ſi res ab ipſis fortiter, ſapienter, manſuetè geſtæ proferentur, ut ne qua aſſentatio nimia ſignificetur: & ſi de his quæ honeſta exiſtimatio, quantaque eorum judicii, & auctoritatis expectatio ſit, oſtendetur. Ab ipſis rebus, ſi noſtram cauſam laudando extollemus, adverſariorum cauſam per contemptionem deprimemus.

Hac arte Cicero captat benevolentiam à ſua perſona *pro Archia*: Adductus ſum, Judices, officio. *II. Agraria*: De me autem ipſo vereor ne arrogantis ſit apud vos dicere, ingrati tacere. *Pro Rabir.* Me cùm amicitiæ vetuſtas, tum ratio humanitatis, tum ſalus Reip. ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata. Ab adverſariorum perſona, *pro Dejotaro*: Crudelis Caſtor &c. Ab auditorum, pro Marcello, & Ligario C. Cæſaris clementiam laudat accommodatè. Pro Quinctio æquitatem Aquilii: Non eò dico, C. Aquili &c. Pro Milone ſapientiam Pompeii: Sed me recreat &c. Ab ipſa cauſa pro Cluentio, pro Rabirio, pro domo ſua, pro Plancio, &c.

Quomodo in Exordio legitimo conciliatur attentio? ℟. Si ſignificemus nos de rebus magnis, & neceſſariis, & utilibus eſſe dicturos Cicero *de invent. in lib. 1. & Partit.* Ita *pro Rab.* Sic enim exiſtimate debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam magis periculoſam, magis ab omnibus vobis providendam, neque à Tribuno plebis ſuſceptam, neque à conſule defenſam, neque ad populum Romanum eſſe delatam. Interdum etiám peti poteſt attentio.

Quomodo docilitas comparatur? ℟. Si apertè, & breviter ſummam cauſæ exponemus: ſeu, ſi complectere à principio genus naturamque cauſæ, ſi definias, ſi dividas, ſi neque prudentiam auditoris impedias confuſione partium, nec memoriam multitudine. Quo modo idem Cicero claré proponit *pro lege Manilia*. Gerendum eſſe à populo Rom. bellum in Aſia, & huic bello præficiendum Cn. Pompejum. Pulcherrimè oſtendit (nos alibi exemplum attulimus) ordinem rerum dicendarum, atque in tres par-

partes orationem deducit Philippica VII. item pro Cluentio: *Animadverti, Iudices, &c.* Definit genus cauſæ pro Rabirio, II. Agraria, Pro Cluentio.

ARTICULUS II.

Exordium Abruptum.

QUod eſt Exordium abruptum? R. eſt illud, in quo Orator non præparat auditorum animos, ſed quaſi quodam calore mentis & impetu dicere incipit? vel indignando, vel commiſerando, vel gaudendo, vel in alium ſubito vehementem affectum prorumpendo. Ita Cicero in Catilinam: *Quouſque tandem &c.* & in Piſonem; *Iámne vides bellua &c.* II. Catilin. per repentinum lætitiæ motum: *Tandem aliquando &c.*

Apud Livium per commiſerationem Philippus Rex inter filios Perſeum accuſatorem, & Demetrium patricidii reum. Quis me malus genius, quod funeſtum omen cogit ſedere inter vos judicem? &c. Apud eundem Papirius re bene geſta: Bene habet (Quirites) vicit diſciplina militaris, vicit Imperii majeſtas. Decadis 4. *lib.* 10.

Solet hoc Exordium ſtylo conciſo, & in invectivis præſertim uſurpari, cum dignitate ac prudentia.

ARTICULUS III.

Inſinuatio.

QUid eſt inſinuatio? R. Eſt illa, qua callidè & latenter inſinuamus nos in benevolentiam auditorum, cujus illud in univerſum præceptum ſit, ut ab iis quæ lædunt, ad ea quæ proſunt, refugiamus.

Quando Inſinuatione utendum eſt? R. Quintilianus *lib.* 4. *cap.* 1. tria tempora aſſignat: unum, quando frons cauſæ non ſatis honeſta eſt, vel quia res ſit improba, vel quia hominibus parum probetur. Secundum, quando

quando dicendum eſt apud fatigatos. Tertium, cum adverſarii actio judicum animos occupaverit: ad hoc repellendum Prolepſis, ad illud, urbanitas confert.

Cicero *de invent. lib.* 1. tum dicit Inſinuatione utendum, cùm genus cauſæ admirabile eſt, à quo alienatus eſt animus eorum, qui audituri ſunt. Humile, quod negligitur ab auditore, & non magnoperè attendendum videtur. Anceps in quo aut judicatio dubia eſt, aut cauſa & honeſtatis, & turpitudinis particeps, ut benevolentiam pariat, & offenſionem. Obſcurum, in quo aut tardi auditores ſunt, aut difficilioribus ad cognoſcendum negotiis cauſa implicita eſt.

I. Igitur ſi vis auditori ſit infeſta, opportet diſſimulare, & ingredi pedetentim, & dicere ea, quæ indignantur adverſarii, tibi quoque indigna videri. Deinde cùm lenieris, ad rem delabi. Quo modo ipſe Cicero antequam legem Agrariam (à cujus oppugnatione populum alienatum eſſe noverat) diſſuadeat, multa præmittit à ſua, & auditorum, & adverſariorum perſona.

II. Si res ſit incredibilis, aut abſurda, aut præter opinionem audientium, opportet ſe præmunire, aut rem teſtimoniis confirmare. Ita pro Marcello, *num.* 12. Vereor ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio. Ipſam victoriam viciſſe videris, cùm ea ipſa, quæ illa erat adepta, victis remiſiſti, *Pro lege Manil.* Teſtis eſt Italia, *&c.* Teſtis Sicilia, *&c.* cùm admirabilem Orator Pompeii virtutem faceret.

III. Si res ſit humilis, illam tu prudenter amplifices, reſque novas, & magnas, neque extra cauſam pollicearis. Philip. VII. *num.* 1. Parvis de rebus; ſed fortaſſe, neceſſariis conſulimur, P. C. *&c.* adducta enim res in maximum periculum, & extremum penè diſcrimen.

IV. Si anceps, tum maximè ſecuritatem ac fiduciam oſtendemus: ut pro Ligario, *num.* 2. Habes igitur, Tubero, quod eſt maximè accuſatori optandum, confitentem reum, &c. *pro Milone.* Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes non periculum nobis, ſed præſidium denuntiant, *&c.* Item pro Rabir. *num.* 18. Nihil me clamor iſte commovet, ſed conſolatur, cùm indicat eſſe quoſdam cives imperitos, ſed non multos. Nunquam mihi credite, populos Rom. hic, qui ſilet,

conſu-

conſulem me feciſſet, ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur.

V. Si obſcura auditorem docebimus proponendo, definiendo, dividendo ut ſuprà.

VI. (ut ad Quintilianum veniamus) ſi parum honeſta & turpis; vel cum excuſatione obſcurè declaretur, vel cum præteritione ſileatur: ut pro Cluent. *num.* 17. Illud me non præterit, cujuſmodicumque mater ſit, tamen in judicio filii te turpitudine parentis dici vix oportere. Verrin. III. *num.* 32. Omnia præteribo, quæ mihi dictu turpia videbuntur, *&c.* vos, quæſo, date hoc & concedite pudori meo, ut aliquam partem de iſtius impudentia reticere poſſim.

VII. Si reprehendenda, aut parum hominibus ob acrimoniam probanda; vel excuſatione utemur: ut Cicero de Haruſp. reſponſ. excuſat ſuam in ſenatu iracundiam adverſus Clodium. Heſterno die, P. C. &c. reddemus rationem: ut II. Agrar. *num.* 61. Non conſuevi homines aſperiùs, Quirites, niſi laceſſitus, *&c.* Velim fieri poſſet ut à me ſine contumelia nominarentur ii, qui ſe decemviros ſperant futuros. Et Philip. *num.* 10. Non tractabo ut conſulem: ne ille quidem me ut conſularem: etſi ille nullo modò conſul, *&c.* ego ſine ulla controverſia conſularis. Vel illius, quem arguimus, omni parcendum, præmittendáve excuſatio, aut etiam laudatio. Ita Cic. pro leg. Manil. Catulum & Hortenſium laudat, quos libertiùs poſtea redarguit. Et pro Muræn. Catonem. Ita pro Sylla Torquatum excuſat, *num.* 47. Fero ego te, Torquate, & jam dudum fero, *&c.* Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adoleſcentiæ, cedo amicitiæ, tribuo parenti, *&c.*

VIII. Si erit fatigatus auditor, non inutile eſt ab aliqua re nova & ridicula incipere, aut ex tempore quæ nata ſit, quod genus, ſtrepitum, acclamationem; aut jam parata, quæ vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irriſionem. Aut ſi rei dignitas adimet jocandi facultatem, aliquid triſte, novum, horribile, ſtatim non incommodum eſt incipere. Quod animadvertes paſſi in Cicerone, qui jocis & riſu abundat.

IX. Si erit auditor perſuaſus, ſtatim à perſuaſione dimovendus eſt. Ita pro Milone præjudicia refutantur ante narrationem rei geſtæ, ejuſque confirmationem. Et pro Cluent. *num.* 6. Orator poſtulat à

judi-

judicibus, ne præjudicia veritatem labefactent in iſta cauſa, ſeu inveterata invidia. Sic etiam accuſatus à Torquato quare Syllam defendat, prius confutat objecta adverſarii, quam ad contentionem ſeu ad cauſam Syllæ accedat.

Ex his, quæ hoc articulo diximus, patet Inſinuationem magno in judicio & prudentia dicentis verſari, ut non intelligentiam modò, ſed gratiam & attentionem auditoris comparet in omni cauſa, plerumque etiam ſibi adverſa. Qua arte valuit Tullius, qui ubique artificioſo callidæ & aſtutæ orationis curſu detinens auditores, permovet tandem non ſolùm imperitos, ſed etiam doctos. Nam pro Ligario tam callidè & convenienter dixit, ut Cæſari (quamvis in iſta cauſa judici & adverſario) tamen veluti ſtupefacto, & extra ſe poſito, color variè mutatus ſit, & libelli quidam è manibus exciderint.

Similì, ſed magis ſophiſticâ, Socrates uſus eſt Inſinuatione. Nam cùm apud Platonem refellit Sophiſtas, ut Traſimachum, Gorgiam, Protagoram, & cæteros, non apertè, ſed latenter, & occultis probationum quaſi cuniculis incedit; ideoque ab iratis Sophiſtis ſæpe contumelioſè reprehenditur, appellaturque aliàs Torpedo, aliàs Dædalus, aliàs incantator.

ARTICULUS IV.

Virtutes Exordii.

QUæ ſunt Virtutes Exordii? R̸.

I. Virtus Exordii eſt, ut ſit accuratum. Rationem attulimus ſuprà; quia Exordium prima eſt quaſi cognitio & comentatio Oratoris, *de Orat. lib. 2.*

II. Virtus eſt, ut ſit proprium, & ex viſceribus cauſæ. Viſcera autem cauſæ ſunt loci intrinſeci, ut genus, ſimilitudo, repugnantia, cauſæ effecta; maximè adjuncta, vel perſonæ, quæ dicit, vel loci ubi dicit, vel eorum apud quos dicit, vel temporis quo dicit, vel materiæ de qua dicit. Ita Cicero ab his frequentiſſimè exordia mutuatur. Nam pro Dejotaro loci anguſtias: pro Cælio temporis inſolentium:

tium: Pro Milone novam rationem judiciorum ſumit, &c.

III. Virtus eſt, ut ſit inſtructum ſententiis. Verùm diligenter animadverte ſententiam aliam eſſe apertam, aliam occultam.

Aperta ſententia eſt, pronunciatum quoddam commune, abſtrahens à perſonis, & factis. *Vt*, Acuſatorem oportet eſſe integrum. Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit mœnia.

Occulta ſententia eſt pronunciatum quoddam particulare, afficiens certas perſonas, facta, loca, tempora, & ejuſmodi. *Vt*, Tu verò Cæcili, quomodo furti accuſare Verrem poteris, cùm ejuſdem ipſe ſis particeps criminis? Fortior fuiſti, C. Cæſar, vincendo teipſum, & parcendo Marcello, aliiſque Pompejanis, quàm domando gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles locis infinitas. Sententiis apertis utimur, cùm authoritatem habemus, vel ad confirmandas res graves, & componendos hominum mores: occultis utimur callidè ad rem noſtram probandam; habent enim eandem vim & efficaciam ac apertæ, nec ſunt ita obnoxiæ faſtidio hominnm, qui ſe doceri, aut moneri non amant. Propterea Cicero in Exordio pro Quinctio non apertè dicit, iniquum eſt defenſorem primo loco dicere, ne videatur fortaſſe iſta ſententia arrogantior; ſed pro Rhetore occultius, Quid hoc iniquius, C. Aquili, dici, aut commemorari poteſt, quàm me, qui caput alterius, famam, fortunaſque defendam, priore loco dicere?

Hinc patet quid ſit Exordium ſententiis inſtructum: non illud, in quod ingeruntur multæ ſententiæ ad propoſitionis confirmationem; ſed illud, in quo latent ſingulares veritates ex univerſalibus deductæ. Enimverò hoc eſt ſententioſè dicere, & proprium Oratori non in Exordio ſolùm, ſed ubique in oratione.

ARTI-

ARTICULUS V.

Vitia Exordii.

QUæ ſunt Vitia Exordii? ℞.

I. Si commune eſt, quod in plures cauſas, aut in contrariam etiam partem cauſæ, poteſt convenire.

II. Si longum, quod pluribus verbis, aut ſententiis ultrà, quàm ſatis eſt; producitur.

III. Si ſeparatum, quod non ex ipſa cauſa ductum eſt.

IV. Si irregulare, ſeu contra præcepta, in quo auditor nec benevolus, nec attentus, nec docilis redditur.

ARTICULUS VI.

Artificium Exordii.

QUod eſt Artificium Exordii? ℞. Exordium, ut ſit ex arte, præcipuè ea debent eſſe, quæ ſenſim præpararent auditorem ad id, quod poſtea contendemus; ut ſunt pleraque adjuncta; & cauſæ, aliiq; loci intrinſeci; ex quibus, utpote viſceribus cauſæ idoneè delabimur ad proponendam canſam noſtram, deinde diſtribuendam tum confirmandam. Quintil. *lib. 4. cap. 1.*

Ita in omnibus fermè Exordiis Cicero: Exempli gratia, in prima oratione pro Quinctio: Exorditur à gratia Nævii, & eloquentia Hortenſii, & Dolabellæ prætoris iniquitate: quæ tria proximè diſponunt judices ad cognoſcendam innocentiam Quinctii, qui nec vadimonium deſeruit, nec fuit prætoris edicto comprehenſus. Item in ſequenti pro Roſc. Amerin. Affert cauſas cur ipſe, & non alius adſtantium defendat Roſcium, quòd illi Chryſogonum timeant: cujus authoritate & avaritiâ freti adverſarii Roſcium falsò accuſarunt parricidii. Quid affinius cauſæ, & contentioni, quæ mox ſequitur? Adverſarios occidiſſe patrem Sextii, quia hi habuerint cauſam,

& facultatem, ipſum verò non occidiſſe patrem ſuum, quia ille non habuerit. Jam *in Divinat.* Illud quàm idoneè afficit judices, ut præ Cæcilio eligant Ciceronem, quia hic rogatus Siculos & Rempublicam defendat. Sic deinceps ire licet per omnia Exordia.

Non tamen denoto hæc in Cicerone, quòd improbem exordia ducta à ſimili, ab apologo, fabula, apophthegmata paradoxo, theſibuſque univerſalibus, quibus hodie Oratores ſacri utuntur.

Deinde in Exordio, ut ſit ex arte, latere debent prima ſemina amplificationis, & affectuum, quos totos explicare non oportet, ſed tantùm impellere auditorem leniter, ut jam inclinato & affecto reliqua incumbat oratio. Certè in oratione pro Quinctio ſunt amplificationes injuriæ, quæ fit Quinctio, & affectus commiſerationis in eundem, & odii in Nævium, cæteroſque adverſarios. Similiter pro Roſcio Amerino, & in Divinatione, & fermè in omnibus.

Hac tamen cautione proſpiciendum in Exordio, ut amplificatione rerum parcè & breviter utamur, illa verborum liberior eſt: tum Oratorii numeri ſuavitas, & periodorum venuſtas amplum facit Exordium.

Sint etiam in Exordio affectus ut plurimùm leniores, vel ſi aliquando graves, ſint tantùm quaſi inchoati: nondum enim exarſit Orator, ſed ſenſim progreditur & aſſurgit.

Poſtremò Ariſtoteles Rhet. *lib.* 5. *cap.* 14. & ad Al. *cap.* 31. Cicero; Quintilianus admonent in ſingulis generibus proprium eſſe aliquid Exordio. In genere Demonſtrativo Exordia ſunt maximè libera; nam & longè à materia duci, & ex aliqua rei vicinia poſſunt. In Deliberatione verò ſepe nulla vel brevia eſſe debent: non enim ut ſupplex ad judicem venit Orator, ſed hortator, atque auctor, in genere Judiciali ex ipſis viſceribus cauſæ ſunt ſumenda, judicem conciliando: & cauſæ noſtræ utilitatem accerſendo. Cæterum in parvis atque frequentibus cauſis, vel etiam in honeſtis, non ſemper veteres Oratores Exordio utebantur, ſed ab ipſa re incipiebant. Dabant etiam operam maximè, ne oſtentarent in principiis curam.

CAPUT II.

De Narratione.

IN Judiciis Exordio ſubjicitur Narratio: niſi refutanda, & priùs amplienda ſint quædam præjudicia & objecta. Ut pro Milone, pro Sylla, pro Muræna. Quod ſi rem jam narravit adverſarius, narranda tantùm alio modo, quæ ipſe contra nos falsò narravit. Quintil. *lib. 6. cap. 1.*

ARTICULUS I.

Quid Narratio, & Quotuplex.

QUid eſt Narratio? ℟. definitur à Cicero *in partit.* rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes ac fundamentum conſtituendæ fidei.

Quotuplex eſt Narratio? ℟. Quintilianus *lib. 4. cap. 2.* duplicem eſſe tradit: unam ipſius cauſæ, alteram rerum ad cauſam pertinentium. Narratio cauſæ, ſeu expoſitio rei, de qua ſtatus eſt, fit ſimpliciter, ſine arte & amplificatione. *Vt*, Clodius ſtatuit Milonem occidere, quare ex urbe profectus, occurrit inimico, pugnavit, à Milone, ſe defendente occiſus eſt. Narratio rerum, quæ pertinent ad cauſam fit ornatè, & copiosè, habetque ſæpè probationis vim. *Vt*, P. Clodius cùm ſtatuiſſet, &c. Ubi orator amplè narrat ſingula, & quæ ad cauſam ſunt utilia, miro artificio proſequitur.

ARTICULUS II.

I. Virtus Narrationis ſeu Probabilitas.

QUot ſunt Narrationis virtutes? R. Quatuor: Probabilitas, Brevitas, Perſpicuitas, Suavitas, Cicero *in prtit.*

Quâ ratione fit probabilis Narratio? R. Si perſonis, ſi temporibus, ſi locis, ea, quæ narrabuntur, conſentient: ſi teſtata dici videbuntur, ſi cum hominum opinione, auctoritate, ſi cum lege, cum religione conjuncta: ſi probitas narrantis ſignificabitur, ſi antiquitas, ſi memoria; ſi orationis veritas, & vitæ fides.

Docet præterea Quintilianus *lib.* 4. *cap.* 1. ut credibilior fiat narratio, ſemina quædam probationum ſpargere: verùm ſic, ut narrationem eſſe meminerimus, non probationem. Nonnunquam etiam Argumento aliquo confirmabimus, quod propoſuerimus, ſed ſimplici & brevi: ut in veneficiis, Sanus bibit ſtatim concidit, livor ac tumor confeſtim eſt inſecutus. Has vocat præparationes, quæ optimæ erunt, ſi latuerint: ut, à Cicerone ſunt quidem utiliſſimè prædicta omnia, per quæ Miloni Clodius, non Clodio Milo inſidiatus eſſe videatur: plurimum tamen facit illa calidiſſima ſimplicitatis imitatio: Milo autem cùm in ſenatu fuiſſet eo die, quoad ſenatus eſt dimiſſus, domum venit: calceos & veſtimenta mutavit: paulisper dum ſe uxor, ut fit, comparat, commoratus eſt. Quàm nihil præparatò, nihil feſtinatò feciſſe videtur Milo? Quod non ſolùm rebus ipſis vir eloquentiſſimus, quibus moras, & lentum profectionis ordinem ducit, ſed verbis etiam vulgaribus, & quotidianis, & arte occultâ conſecutus eſt: quæ ſi aliter dicta eſſent, ſtrepitu ipſum judicem, deinde patronum excitaſſent.

ARTI-

ARTICULUS III.

II. Virtus Narrationis, ſeu Brevitas.

QUâ ratione Narratio ſit Brevis? ℞. Si ſemel unaquæque res dicatur: ſi inde cœperimus rem exponere, unde ad judicem pertinet: ſi nihil extrà cauſam dixerimus: ſi reciderimus omnia, quibus ſublatis nec cognitioni quidquam, nec utilitati detrahatur. Quintil. *ibid.*

Ac multos decipit imitatio Brevitati, ut cùm ſe breves putent eſſe, longiſſimi ſunt: v. g. In portum veni, navim proſpexi, quanti, veherer, interrogavi, de pretio conveni, conſcendi, ſublatæ ſunt anchoræ, ſolvimus oram, provecti ſumus. Nihil horum dici celerius poteſt; ſed ſufficit dicere, e portu navigavi. Et quoties exitus rei ſatis oſtendit priora, debemus hoc eſſe contenti, quo reliqua intelligantur. Quare cum dicere liceat, Eſt mihi filius juvenis; omnia illa ſupervacuâ, Cupidus ego liberorum uxorem duxi, natum ſuſtuli, filium educavi, in adoleſcentiam perduxi. In hoc ponenda eſt brevitas, ut non minus, ſed ne plus dicatur, quàm oporteat. Quintil. *ibid.*

Deinde vitanda illa Salluſtiana (quamquam in ipſo virtutis locum obtinet) Brevitas, & abruptum ſermonis genus: quod otioſum fortaſſe lectorem minus fallit, audientem tranſvolat, nec, dum repetatur expectat. Media hæc tenenda eſt via narrandi, quantum opus eſt.

Denique illud Horatii evita: Dum brevis eſſe volo, obſcurus fio. Et hoc ejuſdem Quintiliani adverte: Non inornata debet eſſe Brevitas.

ARTICULUS IV.

III. Virtus Narrationis, ſeu Perſpicuitas.

QUâ ratione Narratio ſit perſpicua? ℞. I. Si verbis uſitatis, & propriis aperta ſit. II. Si ordo temporis & rei geſtæ ſeries ſervetur. III. Si adhibeatur

aliqua diviſio, & partitio. IV. Si res interruptè narretur. V. Si ipſa etiam pronuntiatio in hoc accommodata ſit, ut judex, quæ dicuntur, quàm facillimè accipiat. Cicero Catil. III. *num.* 3. Orditur apertâ Narratione atque dilucidâ, rebus, perſonis, temporibus, locis diſtinctâ.

ARTICULUS V.

IV. Virtus Narrationis, ſeu Suavitas.

Quâ ratione Narratio ſit ſuavis? ℞. Si habeat admirationes, expectationes, exitus inopinatos, ſi interpoſitos motus animorum colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates. Cicero *in Partit.* Deinde, ſi non eodem tenore, ſed modò breviore ſtylo, modò prolixiore, parva præſsè, magna ſubtiliter, atrocia invidioſè, triſtia miſerabiliter, læta jucundè efferantur; ut varius ſermo effugiat tædium, & ſine ſatietate delectet.

Vide inſigne exemplum pro Cluentio. *num.* 11. De Saſſia. Et Verrin. III. *num.* 63. De Philodamo. Et Verrin. VII. De Navarchis, de civibus Rom. &c. Verùm & aliæ Verrinæ abundant his Narrationibus, in quibus eſt mira Suavitas.

ARTICULUS VI.

Narrationis Figura.

Quæ in Narratione potiſſimum uſurpantur Figuræ? ℞. I. Hypotipoſis. Ut Verrin. VII. *num.* 160. Cædebatur virgis in medio foro Meſſanæ civis Rom. cùm interea nullus gemitus, nulla vox alia iſtius miſeri inter dolores crepitumque plagarum audiebantur, niſi hæc: Civis Rom. ſum. *Ibidem*. Ipſe inflammatus ſcelere & furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.

II. Suſpenſio. Verr. VII. *num.* 10. Quid deinde? quid

quid cenſetis? furtum fortaſſe aut prædam expectatis? aliquam? expectate facinus quàm vultis improbum; vincam tamen expectationem omnium, *&c.*

III. Dialogiſmus. Ut Verr. III. Quæſo, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari jubes? (*& paulò poſt*) tum ille ut aliquid reſponderet, negavit eſſe moris Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius ex alia parte: enimverò ferendum hoc non eſt, vocetur mulier, *&c.*

IV. Communicatio. Ut Verr. VII. *num.* 165. Si tu apud Perſas, aut in extrema India deprehenſus Verres ad ſupplicium ducerêre, quid aliud clamitares, niſi te civem eſſe Romanum?

V. Exclamatio, & Admiratio. Ut pro Cluent. de Saſſia illa matre, ubi poſt aliquam narrationem hęc interſerit ad motum. *num.* 15. O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! ô libidinem effrænatam & indomitam! ô audaciam ſingularem! non timuiſſe ſin minus vim deorum, hominumque famam, ad illam ipſam noctem, faceſque illas nuptiales, *&c.*

Ex his patet in Narratione reperiri etiam motus: qui tamen plerumque ſunt lenes & moderati, fiuntque quaſi per digreſſionem.

CAPUT III.

De Contentione.

Quid eſt Contentio? ℟. Eſt, in qua firmamenta cauſæ afferuntur, dum, quæ contra nos ſunt, refellimus, & noſtra confirmamus. Cicero *de Orat.* 2.

Contentio ex tribus conſtat, Propoſitione, Confirmatione & Confutatione.

ARTICULUS I.

Propoſitio.

Quid eſt Propoſitio? ℞. Eſt brevis ſumma totius orationis; habetque tres conditiones (uti obſervat Juglaris) I. ut ſit una, ex illius enim unitate deſumitur unitas orationis. II. ut extendatur ad totum id, quod in oratione tractatur, hoc eſt, ut in illam, tanquam in metam, omnia argumenta collimet. III. ut ſi clara, ut non modò intelligatur, ſed nec poſſit non intelligi.

Aliàs à Quintiliano *lib.* 4. *cap.* 4. & 5. dicitur, (in genere judiciali ſcilicet,) brevis ſtatus, & totius cauſæ comprehenſio; habetque duas partes, ſejunctionem ſcilicet, & diſtributionem. Sejunctio eſt oratio brevis declarans quid cum adverſariis convenit, quid in controverſiâ relinquitur. Diſtributio eſt oratio proponens quibus de rebus dicturi ſumus, vel eſt explicatio ordinis quem ſequi volumus per totam orationem. Utraque debet eſſe clara, & brevis, non ferè p'uſquam tria capita complectens.

Exempla ſunt pro Muræn. *num.* 11. Intelligo, judices, tres accuſationis partes fuiſſe, & earum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitûs eſſe verſatam. Et Philip. VII. *num.* 9. Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt, quæ tria dum explico, peto à vobis; &c. Pro lege Manilia. Primùm mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo dicendum.

ARTICULUS II.

Confirmatio.

Quid eſt Confirmatio? ℞. Eſt pars contentionis, in qua rem à nobis propoſitam confirmamus. Cicero de invent. *lib.* 1.

Omnis autem Confirmatio conſiſtit in argumentis & ar-

& argumentationibus, quibus cauſæ noſtræ fidem, & auctoritatem, & firmamentum adjungimus. Atque de confirmatione ſatis, & commodiùs diximus. lib. 1. cap. 1. & 2.

ARTICULUS III.

Confutatio.

Quid eſt Confutatio? ℞. Eſt pars orationis, quâ contrarias adverſariorum argumentationes diſſolvimus. Cicero de invent. *lib.* 1.

Quis eſt ordo in Confutatione tenendus? ℞. Contrarius qui in Confirmatione: nam primo loco infirma adverſarii argumenta collocanda ſunt, infirmiſſima ultimo, fortia in medio. Vel ordo is erit in refellendo, quem adverſarius in objiciendo, tenuerit.

Quotuplex eſt modus ſeu induſtria Confutandi? ℞. Ex Quintiliano, *lib.4. cap. 13. & lib. 6. cap. 3.* Triplex: Negando, Redarguendo, Elevando.

NEGANDO.

Quomodo confutamus Negando? ℞.

I. Si omninò rem allatam ab adverſario negamus. Ita apertè Cicero pro Quinctio. *num.* 36. Negamus te bona Quinctii, Sexte Nævi, poſſediſſe ex edicto Prætoris.

II. Si crimen ab ejus, quem defendimus, perſona & moribus alienum oſtendimus. Pro Roſcio Amer. *num.* 39. Patrem occidit Sext. Roſcius, qui homo? adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet ſicarius, homo audax, & ſæpè in cæde verſatus? at hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis, &c. Sic à perſona Regis Dejotari, & prudentis, & probi: pro Dejot. *num.* 15.

III. Si factum negamus ab adjunctis loci, temporis, &c. Ut pro Milone. Si à conſequentibus, ut pro Dejot. *num.*21. Si remotione cauſarum, ut pro Cælio *num.* 56. Sæpè Cicero confutat hoc modo: nam ex negatione

 cauſæ,

cauſæ, præſertim finalis, negationis effectus colligitur. Hoc eſt, ſi poſſit oſtendi nullum fuiſſe homini propoſitum finem aliquid faciendi, probabile eſt non feciſſe.

REDARGUENDO.

Quomodo confutamus Redarguendo? R/.

I. Si dubium, aut fictum, aut falſum eſſe poſſimus dicere, quod adverſarius ſumpſerit. Cicero in Partit. pro Roſc. *num.* 53. Exhæredare pater filium cogitabat. Mitto quærer quâ de cauſâ, quæro qui ſcias, &c.

II. Si non probabile affert adverſarius. Ut pro Cluentio *num.* 173. Jam verò illud, quàm non probabile, quàm inuſitatum, judices, quàm novum, in pane datum venenum? faciliùs ne potuit, quàm in poculo? Latentiùs potuit abditum aliqua in parte panis, quam ſi totum colliquefactum in potione eſſet? &c.

III. Si contraria, & pugnantia ab adverſario dici oſtendimus. Ut pro Roſc. *num.* 44. Vides, Eruci, quantum diſtet argumentatio tua abs reipſa, atque à veritate. Quod conſuetudine patres faciunt, id quaſi novum reprehendis: quod benevolentia fit, in odio factum criminaris: quod honoris causâ pater filio ſuo conceſſit, id eum ſupplicii cauſa feciſſe dicis. Neque hæc tu non intelligis, ſed uſque eò, quid arguas non habes, ut non modò tibi contra nos dicendum putes, verùm etiam contra rerum naturam, contraque conſuetudinem hominum, contraque opinionem omnium.

IV. Si contemnimus crimina leviter ab adverſario objecta. Ut pro eodem Roſc. *num.* 41. Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaque accuſatione, idem mihi uſu venit in cauſa optima. Ille quomodo crimen commentitium confirmaret, non inveniebat: ego res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non poſſum. Quid ais, Eruci, &c. *Et poſtea*: Odium igitur acerrimum patris in filium ex hoc, opinor, oſtenditur; Eruci, quod hunc ruri eſſe patiebatur. Nunquid eſt aliud? imò verò, inquit, eſt: Nam iſtum exhæredare in animo habebat. Audio: nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat: nam illa, opinor, tu quoque concedis levi eſſe atque inepta, convivia cum patre non inibat, &c. *Denique concludit*: Quid

mihi ad defendendum dediſti, bone accuſator, &c. Diſſolvitque reliqua argumenta. Certè præclara eſt hæc confutationis forma, quâ Cicero Erucium variis modis excutit, urget, & contemnit.

V. Si crimen in adverſarios detorqueamus, & ſuis ipſos (quod Ciceroni frequentiſſimum eſt) argumentationibus jugulemus. Ita rurſus Cicero ſuum Erucium conficit, dum probabilius eſſe oſtendit iſtos ſicarios noctu, qui Romæ Sex. Roſcium occiderunt, eſſe adverſarios. *num.* 80. Quid ergo, quo tandem accuſator inopia argumentorum confugerit? *&c.*

VI. Si interrogando, increpando, concedendo, indignando, ſimulando irridemus adverſarium: tum enim victores videmur; modò tamen abſq; arrogantia & immodeſtia. Et verò potentiſſimus eſt ad deprimendos adverſarios, & concitandos pro noſtra cauſa affectus, riſus: unde in cauſa Murenæ Cicero nihil æquè videtur oppoſuiſſe Catonis, & Sulpitii, maximorum virorum, authoritati, quàm lætiſſimam illam ſuam facetè dicendi feſtivitatem, ſicque omne judicium ſolutum eſt riſu; ut Cato, quamvis naturâ, & inſtitutione, ipſa quoque accuſatoris perſona, quam ſuſtinebat, horridior, cùm tamen riſum tenere nequiret, feratur dixiſſe: Dii boni quàm ridiculum conſulem habemus. Præterea ſatis conſtat, non alia re, quàm jocorum opportunitate, in manifeſtiſſimis criminibus, L. Flaccum ſeveritati judicum à Cicerone eſſe ereptum: perpetuo enim riſu ac facetiis in Teſtes Aſiaticos Romanoſque cavillatur. Adeò ut Quintilianus *lib. 6. cap. 3.* dixerit Ciceronem in jocis modum non tenuiſſe, Demoſtheni facultatem defuiſſe.

ELEVANDO.

Quomodo confutamus Elevando? ℟. Quando res, quàm adverſarius ſumpſerit, negari non poteſt, aut quando infirma eſt noſtræ cauſæ ratio: duos aſſignat Agricola *lib. 2. cap. 21.* elevandi ſeu, ut ipſe loquitur, elabendi modos; I. regerendo aliquid in perſonam adverſarii: II. regerendo rem ipſam. In rem regerimus, cùm rem parem aliquam ei, quæ nobis objicitur, reponimus; ut quantum nos urget adverſarius, tantum videamur nos eum è diverſo eo, quod referimus, urgere. Quale eſt pro Cælio, cui cùm objecta eſſet luxuria major, quàm ut eam defendere auderet Cicero apertior, quàm ut poſſet eam negare: molliit quidem

aures quantùm potuit Orator, & partim temporum magis ea vitia dixit, quàm hominis; partim contendit aliquid eſſe concedendum ætati. Tum (quod hujus loci proprium eſt) velut remedium invidiæ oppoſuit ſpem futuræ induſtriæ & probitatis in ætate ventura, ex actionibus laboribuſque quos Cælius jam ſuſcipiebat, ſuſtinebatque. Sic Virgilius in Eclogis:

Dic quibus in terris) & eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat Cæli ſpatium non amplius ulnas?

Alter cum nequeat reſpondere, aliud par objicit.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores: & Phylida ſolus habeto.

In perſonam regerimus, cùm dimiſſa re, oſtendimus, qualiſcumque ſit, non convenire tamen adverſarii perſonæ objicere eam, neque rectè hæc ab eo dici. Cujuſmodi eſt pro Ligario, quòd Tubero, accuſator Ligarii, in eadem cauſa fuerit, cujus Ligarium accuſabat. Simile eſt in Salluſtium: Quaſi verò tu ſis ab illis viris, Sallufti, ortus. Et paulò poſt: Ecquid te tui piget, homo leviſſime, cùm ea culpas, quæ in hiſtoriis mihi gloriæ ducis? Et iterum, Qui mihi auſus ſis eloquentiam ut vitium objicere, cujus ſemper nocens eguiſti patrocinio? Sic & Virgilius: Meque timoris argue tu, Drance. Et apud Senecam Jaſon: Medeæ amores objicis?

Denique eſt confutatio, quam inverſionem & abſolutionem vocant, cùm edocemus argumenta, vel cauſam contra nos allatam, pro nobis facere. Cicero de invent. *lib.* 2. Cujus eſt elegans exemplum apud Cæſarem *lib.* 7.

Vercingetorix (inquit) cùm ad ſuos rediiſſet proditionis inſimulatus: I. Quod caſtra propius Romanos moviſſet. II. quòd cum omni æquitatu diſceſſiſſet. III. quòd ſine imperio tantas copias reliquiſſet. IV. quòd ejus diſceſſu Romani tantâ opportunitate & celeritate veniſſent. Non hæc fortuitò, aut ſine conſilio accidere potuiſſe. Regnum illum Galliæ malle Cæſaris conceſſu, quàm ipſorum habere beneficio.

Tali modo accuſatus ad hæc reſpondit. I. Quòd caſtra moviſſet, factum inopiâ pabuli, etiam ipſis hortantibus, quòd propius Romanos acceſſiſſet, perſuaſum loci opportunitate, qui ſeipſum munitione defenderet. II. Equitum operam neque in loco paluſtri deſiderari debuiſſe & illic fuiſſe utilem quò ſint profecti. III. ſummam imperii ſe conſulto nulli diſcen-

ſcendentem tradidiſſe, ne is multitudinis ſtudio ad dimicandum impelleretur. IV. Romani ſi caſu intervenerint, fortunæ; ſi alicujus judicio vocati, huic habendam gratiam, quòd paucitatem eorum ex loco ſuperiore cognoſcere, & virtutem deſpicere potuerint.

CAPUT IV.

De Peroratione.

STrenui ac diligentis Oratoris eſt, nihil in ultima hac parte negligere, ſed illam ſtudioſius excolere; quòd quæ tunc dicuntur mentibus auditorum adhæreſcant, & res plerumque ab exitu & fine probentur. Ariſtot. *lib.* 2. *cap.* 19.

Deinde cum Peroratio è nonnullis motuum ſedes dicatur, videantúrque omnes affectus huc referri (nam aliæ quoque partes & affectus recipiunt, ſed breviores, ut ex his plurima ſint reſervanda) hic, ſi uſquam, totos eloquentiæ fontes aperire licet, & omnes animorum motus adhibere. Cicero de Orat. 2. Hac in parte Cicero excelluit & Oratorum princeps fuit.

Quid eſt Peroratio? ℞. Artificioſus orationis exitus, ſive eſt extrema pars orationis, in qua id, quod tota oratione expetebat Orator, majori vehementia evincere & obtinere contendit. Quintil. *lib.* 6. *cap.* 1.

Quot partibus conſtat Peroratio? ℞. Tribus Enumeratione, Amplificatione, Affectu, Cicero in Partit.

Quomodo fit Enumeratione? ℞. Cùm ea, quæ per totam orationem variè ſunt ſparſa, colligimus, & uno velut aſpectu ponimus ob oculos per anacephalæoſim, ſeu recapitulationem, quæ rerum fusè dictarum brevis & ſumma, & artificioſa repetitio. Cicero pro Quinctio, ſigillatim omnia repetit, & ordine ſuo, quę probaverat, ſubjicit cum ratione *num.* 86. Oſtendit quàm multa &c. Et pro leg. Manil. *num.* 49. Quare cùm & bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſſit; ita magnum, ut accuratiſſimè ſit adminiſtrandum: & cùm ei Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit

eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſſima authoritas, egregia fortitudo; dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum bonum, quod à Diis immortalibus oblatum & datum eſt, in Rempub. conſervandam atque amplificandam conferatis.

Sæpè etiam optima eſt illa Enumeratio, quæ non ſimpliciter fit, ſed figuratè vel per Apoſtropham, vel proſopopœjam, interrogationem, præteritionem, &c.

Poteſtque Enumeratio, præcedere amplificationem, vel ſubſequi, vel etiam ei permiſceri.

Denique Enumeratione utendum, quandò causâ, multis argumentis deductâ, memoriæ auditorum diffidimus, ac tum præcipua tantùm argumenta cum ornatu & varietate, ſervato ferè ordine cofirmationis, repetimus.

Quomodo fit Amplificatione & Affectu? ℞. Si ea, quæ de amplificatione & affectu diximus, accuratè obſerventur: præſertim hîc valent apoſtrophæ, exclamationes, proſopopœjæ, commiſerationes; nam his figuris; & maximis affectibus, amplificationibuſque omnes Ciceronis perorationes ſunt plenæ.

APPENDIX.

Artificio componenda Orationis.

QUot rebus conſtat artificium componendæ Orationis? ℞. Tribus: Exordio, Contentione, Peroratione; nam Narratio (ut diximus) non ſemper adhibetur, niſi in genere judiciali.

Quodnam eſt artificium Exordii? ℞. Præmitti ab Oratore Exordium (quod poſtremo loco aliqui dicunt oportere fieri) ex viſceribus cauſæ; continetque prima ſemina argumentationum, amplificationum, affectuum, qui reliquâ oratione tractantur. Sed de artificio Exordii ſatis alibi.

Quodnam eſt artificium Contentionis? ℞. Primùm ſummenda eſt brevis & clarà quæſtio, ſeu propoſitio, vel in genere demonſtrativo, vel deliberativo, vel judiciali. Deinde, ſeligenda è locis oratoriis duo triàve argumenta præcipua, quibus & propoſita quæſtio niti, & in quæ, quaſi in ſuas partes, oratio diſtribui poſſit.

Tum

Tum accedens argumentatio vel tripartita, vel quinque partita, vel Enthymema, vel Inductio explicabit atque efferet argumenta. Singulas autem argumentationis partes cùm amplificatio rerum ac verborum exornare, tùm aptæ tranſitiones colligare debent. Poſtremò trahuntur affectus, vel Orator digreditur, aut confutat, se confirmata & amplificat.

Quodnam eſt artificium Perorationis? R. Peroratio omnia per orationem ſparſa vehementiùs colligit, ac primùm argumentationes ſtrictim ac ſapienti quadam confuſione recenſet, eas rurſus amplificat, inchoatos affectus reſumit, adauget, & ad ſummum perducit. Nonnunquam novo argumento, aut argumentatione, tanquam forti telo ad finem reſervato, auditorem vincit.

Unde hoc Artificium componendæ orationis confirmari poteſt? R. Ex ipſis M. Tulli Ciceronis orationibus, qui primum exorditur ab adjunctis, aut ab aliis viſceribus cauſæ: Deinde proponit breviter, & clarè: Tum diſtribuit orationem in duo triáve argumenta præcipua: Hæc argumentationibus tractat. Ipſas argumentationum partes amplificat: trahitque affectus: perorat denique.

Atque harum quidem M. Tulli Ciceronis orationum artem, atque analyſim in altero Tractatu dedimus. Quare haud ſcio, quid ſtudioſæ juventuti ſit utilius.

LIBER TERTIUS
DE
TERTIA PARTE
RHETORICÆ,
SEU
DE ELOCUTIONE.

HÆc eſt propria Oratoris pars, à quâ & Rhetor, & Eloquens, & maxmè Orator Oratore præſtantior dicitur. Sine Elocutione ſupervacua ſunt inventio, ac diſpoſitio; & ſimilia gladio condito, atque intra vaginam hærenti. Ideò Cicero Inventionem quidem ac diſpoſitionem prudentis hominis putat eloquentiam Oratoris. In hac igitur parte omne ſtudium, & exercitatio; & imitatio, & ætas ponenda eſt. Cicero de Orat. *lib.* 2. Quintilian. *lib.* 8. *in procemio*.

Quid eſt Elocutio? ℟. Eſt idoneorum verborum, ac ſententiarum ad res inventas & diſpoſitas accommodatio, ut diximus in Apparatu.

Quot ſunt virtutes Elocutionis? ℟. Quatuor: Latinitas, Perſpicuitas (de quibus vide Grammaticæ præcepta) Ornatus, & Suavitas. Quintil. *lib.* 8. *cap.* 2. Cicero de Orat. 3.

In quo ſitus eſt Ornatus Elocutionis? ℟. In tropis, & figuris.

In quo ſita eſt Suavitas Elocutionis? ℟. In oratorio numero, qui pedibus conſtat, & maximè in periodo, cujus partes ſunt inciſa, & membra.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De Tropis in uno verbo.

QUid eſt Tropus? ℞. Eſt verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio. Ut, cùm dicimus lætas ſegetes, verbum læt.m à propria ſignificatione, qua lætos homines dicimus, ad ſegetes cum virtute transfertur. Quintil. *lib.* 8. *cap.* 6.

Quotuplex eſt Tropus? ℞. Duplex: alter in uno verbo, & alter in pluribus, ſeu in oratione.

Quot ſunt Tropi in uno verbo? ℞. Sex: Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomaſia, Catachreſis, Metalepſis.

ARTICULUS I.

Metaphora.

QUid eſt Metaphora, latinè tranſlatio? ℞. Eſt cùm nomen, aut verbum, quod propriè rem aliquam ſignificat, aſſumitur ad rem aliam ſimilem ſignificandam. *Vt*, cùm nomen vulpes, quod propriè beſtiam ſignificat, aſſumitur ad ſignificandum hominem fraudulentum, cum quo ipſa vulpes habet ſimilitudinem. Cicero de Orat. 2.

Quotuplici ex cauſa fit Metaphora? ℞. Triplici.

I. Ob neceſſitatem, cùm proprium verbum deeſt rei ſignificandæ: Sic gemmare vites, luxuriam eſſe in herbis, hominem eſſe durum, aut aſperum, ex neceſſitate dicitur, quia non eſt proprium his affectionibus nomen.

II. Ob majorem ſignificandi vim: nam incenſum irâ, inflammatum cupiditate, & errore lapſum ſignificantius

ficantius dicimus, quàm commotum, quàm cupidum, quàm errantem.

III. Ob decentiam & ornatum: quo modo lumen ingenii pro acuto, flumen eloquentiæ pro diſerto Oratore dicimus.

Quotuplex eſt vis Metaphoræ? ℞. Quadruplex.

I. Cùm verbum uni animato proprium alteri quoque animato tribuitur. *Vt*, ſi dicas hominem latrare: Livius enim Scipionem à Catone allatrari ſolitum refert.

II. Cùm verbum uni inanimato proprium alteri quoque inanimato tribuitur. *Vt*, Concentu virtutum nihil ſuavius.

III. Cùm verbum uni inanimato proprium alteri animato tribuitur. *Vt*, Duo fulmina belli Scipiades.

IV. Cùm verbum in animato proprium alteri inanimato tribuitur. *Vt*, Regina florum roſa. Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.

Quare delectantur homines Metaphora? ℞. Quia placet omnibus ſimilitudo: Metaphora autem eſt ſimilitudo ad unum verbum contracta. Tamen eſt hæc differentia inter Metaphoram, & ſimilitudinem, quòd in ſimilitudine ponitur dictio, quæ vim habeat comparandi: dicimus enim, Homo iratus eſt ſicut leo. In Metaphora autem, res, cum qua aliud comparatur, quo pro re ipſa ponitur: *ut*, Homo iratus eſt leo.

Quæ ſunt vitia Metaphoræ? ℞.

I. Si nimia ſit diſſimilitudo: qualis eſt inter fornicem & cœlum, quod ſphæricum eſt. Ne igitur uſurpa illud Ennii: Cœli ingentes fornices.

II. Si à longè ſimilitudo ducatur, *ut*, Charybdis bonorum, pro voragine.

III. Si translatio ſit humilis, *ut*, Saxee mundi verrucæ, pro rupibus. Vel major quàm res poſtulat: *ut*: Tempeſtas commeſſationis, pro tumultu. Vel minor: Iracundiæ calor, pro ardore.

IV. Si nimiùm frequens ſit Metaphoræ uſus.

V. Si, quæ ad Poëtas magis pertinent, in ſolutam orationem adducantur, hoc eſt, ſi nimiùm ſit ſublimis & audax Metaphora, v. g. cùm rebus inanimatis ſenſum & animos damus: qualis eſt illa Virgil. *Æneid.* 5. Pontem indignatus Araxes, Aut Ciceronis pro Ligario: Quid enim tuus ille, Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armo-

rum

rum tuorum? Sed hæ Metaphoræ molliri debent formulis, ut ita dicam, ſi fas eſt dicere: vel particulis, quaſi, quodammodo.

Cæterùm nullus eſt Tropus florentior in ſingulis verbis, nec qui plus luminis adferat Orationi, quàm Metaphora.

ARTICULUS II.

Synedoche.

Quid eſt Synedoche. ℞. Eſt Tropus in quo I. Sumitur pars pro toto, *ut*, Puppis pro navi; Mucro pro enſe Author ad Heren.

II. Totum pro parte, *ut*, Fontemque ignemque ferebant. *Æneid. II.* pro aquam & carbones.

III. Unus pro pluribus, *Vt*, Hoſtis habet muros, Romanus prælio victor. *Æneid. I.*

IV. Plures pro uno. *Vt*, Populo impoſuimus, & oratores viſi ſumus; cùm de ſe Cicero tantùm loqueretur. Ad Brutum.

V. Species pro genere. *Vt*, Denteſque Sabellicus exacuit ſus, pro quovis, ſue.

VI. Genus pro ſpecie. *Vt*, Ales pro aquila, Interfector pro parricida.

VII. Materia ex qua res facta eſt, pro re ipſa. *Vt*, Ferrum pro gladio, Puppis pro navi, argentum pro patera.

VIII. Antecedentia pro conſequentibus. *Vt*, Vixit, pro mortuus eſt, Fuimus Troes, pro periit Troja.

Tranſlatio, inquit Quintilianus. *lib.* 8. *cap.* 6. ad movendos animos, & res penè ſub oculos ſubjiciendas, reperta eſt; at Synedoche ad locupletandum Sermonem pertinet.

ARTICULUS III.

Metonymia.

QUid eſt Metonymia, ſeu Hypallage? R. Eſt Tropus in quo,

I. Cauſæ pro effectis ſumuntur, ſive inventor, aut alicujus rei author pro in inventa. Ad Herenn. *Ut*, Dona laborata Cereris, quæ frumenti inventrix eſt *Æn. VIII.* pro frumento in panem redacto. *Item*, Legi Platonem, pro ejus operibus,

II. Effecta pro cauſis. *Ut*, Scelus & ſacrilegium deprehenſum eſt, pro ſcelerato & ſacrilego.

III. Continens pro re contenta. Sic bene moratæ urbes dicuntur. Sic ſæculum felix. Sic Roma pro Romanis, Athenæ pro Athenienſibus. Cicer. *de Orat.* Ut omittam illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus ſumma dicendi vis & inventa eſt, & perfecta.

IV. Poſſeſſor pro re poſſeſſa, ut dux pro exercitu. Virgil. *Æn. II.* Jam proximus ardet Ucalegon, pro Ucalegontis domo. *Et*, Ab Annibale apud Cannas cæſa ſexaginta millia dicimus, pro ab ejus copiis.

V. Signum pro re ſignata. *Ut*, Oliva pro pace, faſces uſurpantur pro magiſtratu. Virgil. Georgic. II.

Non illum populi faſces, non purpura Regum flexit.

ARTICULUS IV.

Antonomaſia.

QUid eſt Antonomaſia? R. Eſt Tropus, in quo pro vero nomine rei ſignificatæ aliquid ponitur. *Ut*, Everſor Carthaginis pro Scipione, Romanæ eloquentiæ princeps pro Cicerone. Quintil. *lib.* 8. *cap.* 6.

Huc referri ſolet Epitheton. Differt Epitheton ab Antonomaſia; quòd non ſit tropus: nam non ponitur

tur pro nomine proprio, ſed nomini proprio apponitur. *Ut*, Cùm dicitur Scipio everſor Carthaginis.

Epitheton tum eſt egregium. I. cùm addit ad rem ſignificatam: *ut*, Scelus execrendum, vinum ſuaviſſimum. II. Cùm eſt tranſlatum, ſeu Metaphoricum, *ut*, Cupiditas effrænata, triſtis ſenectus.

Moderatus debet eſſe Epithetorum uſus, ne, ſi parcus ſit, oratio jaceat, ſine appoſitis nuda, & velut incompta, ſi crebet, abundet, & velut oneretur multis, longa & impedita. Illis & frequentiùs & liberiùs Poëtæ utuntur.

ARTICULUS V.

Catachreſis; Metalepſis.

QUid eſt Catahreſis? R. Eſt abuſio vocis: nempe quando vocabulo alieno perinde ac proprio utimur; vel neceſſitatis cauſa, vel de induſtria. Sic abutimur hac voce parricida, quæ proprie patris interfectorem ſignificat, pro eo qui matrem aut fratrem interfecit, quia Matricida & Fratricida non ſatis latinè dicitur. Sic Poëta de induſtria etiam dixit; Equum divina Palladis arte ædificant. Et, Equitare in arundine longa.

Quid eſt Metalepſis, ſeu Transſumptio? R. Eſt cùm per unum verbum gradatim ad aliquid intelligendum acceditur, ut cùm Poëtæ dicunt, Poſt aliquos mea regna videns mirabor ariſtas, id eſt poſt aliquot annos; nam ex ariſtis ſpicas & ſegetes, ex ſegetibus æſtates, & ex æſtatibus annos intelligimus.

Apud Oratores hic Tropus parciſſimè uſurpatur;

CA-

CAPUT II.

De Tropis in pluribus verbis, ſeu in Oratione

Quot ſunt Tropi in pluribus verbis ſeu in oratione? ℞. Tres: Alllegoria, Hyperbole, Ironia.

ARTICULUS I.

Allegoria.

Quid eſt Allegoria? ℞. Eſt plurium verborum continuata quædam Metaphora: quoties aliud verbis dicitur, aliud ſenſu intelligitur. Nam ſimilitudo ſeu Metaphora fit uno tantùm verbo, Ut navis pro Repub. Mare, pro bello, fluctus pro ſeditionibus, portus pro pace. Allegoria autem fit pluribus verbis. Ut, Horat. *lib. 1. Ode 14.*

O Navis, referent in mare te novi
Fluctus: ò quid agis? fortiter occupa
Portum, &c.

Ita Virgilius: Claudite jam rivos pueri, ſat prata bibere. Hoc eſt, definite jam plura canere, quia ſatis audivimus.

Qua ratione Allegoria non fit obſcura? ℞. Si verbis propriis & apertis ſit permixta. *Vt*, Cæteras tempeſtates & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum ſemper Miloni putavi eſſe fugiendas: ubi verbum illud proprium concionum rem aperit.

Quænam eſt præſtantiſſima Allegoria? ℞. Quæ ſimilitudinis & tranſlationis gratiâ permixta eſt, *Vt*, Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tamque varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes & quantos æſtus

æſtus habet ratio comitiorum? Hic vides comitia per ſimilitudinem freto, & Euripo comparari, perturbationes de comitiorum ſtrepitu ac negotiis tranſlativè dici.

Quid in Allegoria maximè advertendum? ℞. Utquo genere cœperis tranſlationis, eodem finias: unde malè diceretur, Per hoſtes invidiæ incendio deflagravi, ac demum ejus fluctibus demorſus ſum, pro ejus flammis abſumptus:

Quæ ſunt ſpecies Allegoriæ? ℞. Ænigma & Adagium.

Quid eſt Ænigma? ℞. Eſt obſcurior Allegoria, nimirum occulta & implexa rerum ſimilitudine. Ut,

Eſt unus genitor, cujus ſunt pignora bis ſex:
Bis quoque triginta nata, ſed diſpare forma:
Aſpectu hinc niveo, nigris, & vultibus inde:
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes:

De Anno, qui duodecim menſibus conſtat, quorum quilibet triginta diebus luce & nocte diſtinctis completur. Sed hæc Oratores non uſurpant.

Quid eſt Adagium? ℞. Eſt dictum celebre, & ſcita quadam novitate inſigne. Ut Cribrum pertuſum pro homine obliviofo: mali corvi malum ovum: id eſt mali parentis malus filius.

ARTICULUS II.

Hyperbolè, Ironia.

QUid eſt Hyperbolæ, latinè Superjectio? ℞. Eſt Tropus, in quo vel augendo, vel minuendo ſignificamus id, quod non eſt abſolutè verum.

Augendo quidem. *Ut*, Fulminis ocyor alis, pro celerrimus; minuendo verò: Vix oſſibus hæret, pro eſt admodum macilentus.

Debet tamen Hyperbole eſſe intrà modum, aliquando etiam verbis mollienda. Ita Cicero poſt reditum in Senatu: Omnes Metellos, præſtantiſſimos cives, oratione Servilii penè ab Acheronte excitatos ait. Cæterùm inſignis eſt illa ejuſdem Ciceronis in Antonium Hyperbole: Quæ charybdis tàm vorax,

cha-

charybdin dico, quæ ſi fuit, fuit animal vivum, Oceanus medius fidius vix videtur tot res tam diſſipatas, tam diſtantibus locis poſitas abſorbere potuiſſe. Ex quo patet Hyberbolem adhiberi, vel ut aliquid augeatur, vel minuatur; vel ad laudem, vel ad vituperium.

Quid eſt Ironia? ℟. Eſt Tropus, qui aliter illuſio vocatur, & contrarium indicat iis verbis, ex quibus conflatur. Fit uno vel pluribus verbis: fit uno per antiphraſim; ut Ulyſſes pro incauto, Gigas pro Nano, Urbanus pro ruſtico. Fit pluribus (hic eſt Tropus ſermonis) vel ſimpliciter per contemptum, ut Cicero in Catil. O bellum magnopere pertimeſcendum, &c. Et in Anton. Tu, homo ſapiens & diſerte, quid dicis? Et, O præclarum cuſtodem ovium, ut ajunt, lupum! Vel per ſarcaſmum, quæ eſt irriſio amara & hoſtilis) ut pro Cælio: Quod facerem vehementius, niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris viro, fratrem volui dicere; ſemper hic erro. Vel per ſcomma (quod eſt tecta mordacitas) ut pro Roſc. Amerin. *num.* 44. Quæſo, Eruci, ut hoc in bonam partem accipias; non enim exprobrandi cauſa, ſed commonendi gratia dicam. Si tibi fortuna, non dedit, ut patre certo naſcerere, ex quo intelligere poſſes, qui animus patrius in liberos eſſet: at natura certè dedit, ut humanitatis non parum haberes. Vel per jocum facetum & urbanum. Quo modo ridetur Cæpaſii oratio pro Cluentio, *num.* 58. Item negotiatio Deciani, ejuſque teſtimonium, pro Flacco, *num.* 70. ſtoici Catonis aſperitas ac doctrina, pro Muræna, *num.* 62.

CA

CAPUT III.

De Figuris Verborum.

QUid eſt Figura? ℞. Eſt conformatio quædam verborum ac ſententiarum à communi ratione loquendi remota, differtque Figura à Tropo, quòd Figura conſtare poſſit ex propriis verbis, Tropus verò non. Quintil. *lib. 9. cap. 1.*

Quotuplex eſt Figura? ℞. Duplex altera verborum, & altera ſententiarum.

Quot ſunt Figuræ Verborum? ℞. Plures: fiuntque tribus præſertim modis. Quintil. *lib. 9. cap. 3.* I. per adjectionem. II. per Detractationem. III. per Similitudinem. Octo Figuræ fiunt per Adjectionem: Repetitio, Converſio, Complexio, Conduplicatio, Traductio Synonymia, Polyſindeton, Gradatio. Quatuor fiunt per Detractationem: Diſſolutio, Adjunctio, Synedoche, Synæceoſis. Octo fiunt per Similitudinem vocum: Paronomaſia ſeu annominatio, Similiter cadens, Similiter deſinens, Iſocolon ſeu compar Antitheton ſeu contra poſitum, Commutatio, Correctio. Dubitatio. Ad Herenn. *lib. 4.*

ARTICULUS I.

Figuræ per Adjectionem.

REPETITIO.

QUid eſt Repetitio? ℞. Eſt Figura, in qua ab eodem verbo ſæpiùs incipit Oratio. Ut *I. Catil.* Nihilne te nocturnum præſidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum

omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatûs locus, nihil horum ora vultuſque moverunt; Et pro Quinctio *num.* 82. Quid hæc amentia? Quid hæc feſtinatio? Quid hæc maturitas tanta ſignificat? non vim, non ſcelus, non latrocinium, non denique omnia potiùs, quàm jus, quàm officium, quàm pudorem?

CONVERSIO.

Quid eſt Converſio? R/. Eſt Figura repetitioni contraria, in qua ſæpiùs eodem verbo finitur oratio. Cic. in Ant. *Phil.* 2. Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos Cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius. *Item*: Concordia de civitate ſublata eſt, libertas ſublata eſt, fides ſublata eſt, Reſpublica ſublata eſt. Ad Heren. *lib.* 4.

COMPLEXIO.

Quid eſt Complexio? R/. Eſt Figura repetitione ſimul & converſione conſtans. *Ut*, Qui ſunt, qui fœdera ruperunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui Italiam deformaverunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui ſibi poſtulant ignoſci? Carthaginenſes. Cic. de lege Agrar. Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem populi partem ſuffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? idem Rullus.

Hæc Figura; uti præcedentes duæ, habent vim urgendi, & motus concitandi; virtutem etiam, & vitium amplificandi, nam acriter & inſtanter fiunt.

CONDUPLICATIO.

Quid eſt Conduplicatio? R/. Eſt ejuſdem verbi, aut plurium, geminatio: vel initio orationis. Ut in Catil. Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed ad confirmandam, audaciam. Vel in fine. Ut pro Marcello: Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam, gladium vagina in urbe vacuum non

vidi-

vidimus. Vel in medio. Ut *Phil. II.* Etiam audes horum in conſpectum venire, proditor patriæ? proditor, inquam, patriæ venire audes in horum conſpectum? Vel aliquo interjecto. *Ut*, Bona (miſerum me! conſumptis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor!) bona Cn. Pompeii acerbiſſimè voci ſubjecta præconiis. Vel totam ſententiam repetendo. Ut *Verr. VII.* Quid Cleomenes facere potuit (non enim poſſum quemquam inſimulare falsò) quid, inquam, Cleomenes magnopere facere potuit?

Uſurpatur Conduplicatio, vel ut oratio ſit vehementior, vel ut ſit ſuavior.

TRADUCTIO.

Quid eſt Traductio? R̸. Eſt ejuſdem verbi caſibus, aut generibus, aut modis, aut temporibus paululum immutatis repetitio. Ut pro Archia Poët. Pleni ſunt omnes libri, plenæ ſapientium voces, plena exemplorum vetuſtas. Et ad Herenn. Eum tu hominem appellas, qui ſi fuiſſet homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis petiiſſet. At erat inimicus: ergo inimicum ſic ulciſci voluit, ut ipſe ſibi reperiretur inimicus.

SYNONYMIA.

Quid eſt Synonymia? R̸. Eſt coacervatio multorum verborum idem ſignificantium. Cicero *Catil. VII.* Quæ cùm ita ſint, Catilina, perge, quò cœpiſti, patent portæ, proficiſcere. Et alio loco: Abiit, exceſſit, evaſit, erupit. Item *Philip. II.* Tu illam domum ingredi auſus es; tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tu illarum ædium diis Pœnatibus os illud importuniſſimum oſtendere? Non feram, non patiar, non ſinam.

Hæc Figura habet gravitatem, & acrimoniam. Cavendum tamen ne verbis & ſenſibus idem prorſus ſignificantibus temerè & pueriliter fiat.

POLYSINDETON.

Quid Polyſinderon? R̸. Eſt Figura conjunctioni-

 bus

bus abundans. *Vt*, Juſtitia, & fortitudine, & temperantia, & prudentia, & religione, & cæterarum virtutum laude floruit.

GRADATIO.

Quid eſt gradatio; ſeu Climax? ℞. Eſt Figura, quæ non priùs ad conſequens verbum deſcendit, quàm aliquod præcedens repetat, & per illud, quaſi per gradum, procedat. Ut pro Roſc. Amerin. In urbe luxuries creatur ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt: ex avaritia erumpat audacia, inde omnia ſcelera ac maleficia gignuntur. Et pro Milone: Neque verò ſe populo ſolùm, ſed etiam Senatui commiſit; nec Senatui modò, ſed publicis præſidiis & armis; neque his tantùm, ſed etiam ejus poteſtati, cui Senatus totam remp. commiſit. Item pro Quinct. Si tibi quid, Nævi, debuiſſet Quinctius, petiſſes ſtatim; ſi non ſtatim, paulò quidem poſt; ſi non paulò, at aliquando, ſex quidem illis menſibus profectò, anno vertente ſine controverſia.

Hæc Figura apertiorem habet artem, magis & affectatam; ideóque eſſe rarior debet: uſurpatur tamen ad venuſtatem, & ad vim addendam orationi.

ARTICULUS II.

Figuræ per Detractationem.

DISSOLUTIO.

Quid eſt Diſſolutio? ℞. Eſt Figura, qua demptis conjunctionibus diſſolutè plura dicuntur. Quintil. *l.* 9. *c.* 3. *de Orat.* 2. Ad Herenn. *Vt*, Sit in ejus tutela Gallia, cujus virtuti, fidei, felicitati commendata eſt. Et pro Arch. Poëta: Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

Apta eſt, ut vides, hæc Figura, non in ſingulis modò verbis, ſed ſententiis etiam; habetque, uti

Polyſin-

Polyſindeton, acrimoniam & vim velut ſæpiùs erumpentis affectus.

ADJUNCTIO.

Quid eſt Adjunctio? ℞. Figura, qua unum ad verbum, quod primum aut poſtremum, collocatur, plures ſententiæ referuntur, quarum unaquæque deſideraret illud, ſi ſola poneretur. *Vt*, Vicit pudorem libidido, timorem audacia, rationem amentia. *Item*: Nec enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore avocârit.

Huc referri ſolet Disjunctio: non quod fiat per detractionem, ſed quia eſt Figura adjectioni oppoſita, quâ ſingulis brevibus ſententiis ſingula ſubjiciuntur verba, cùm unum omnibus ſufficere poſſet. *Vt*, pro Archia: Me autem quid pudeat, judices, qui tot annos ita vivo, ut à ſtudiis nullo me unquam tempore aut commodum, aut otium abſtraxerit, aut voluptas avocârit, aut denique ſomnus retardârit. Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi verò eſſe ſuum confirmant.

SYNECDOCHE.

Quid eſt Synecdoche, in quantum Figura eſt? ℞. Eſt reticentia unius verbi, quod ex aliis facilè intelligitur. *Vt*, Vix è domo diſceſſerat, mœrere ſervi, lugere filii, conjux miſera lamentari (facilè ſubintelligitur cœpit, vel cœperunt.) Item, Sermo nullus, niſi de te, ſupple, factus eſt.

SINÆCEOSIS.

Quid eſt Synæceoſis? ℞. Eſt Figura, quæ duas res diverſas conjungit unico verbo, ſubaudito eodem, vel æquivalente in ea parte, in qua non ponitur. *Vt*, Tam deeſſe avaro quod habet, quàm quod non habet, ſupple, illi deeſſe.

ARTICULUS III.

Figura per Similitudinem.

PARONOMASIA.

Quid eſt Paronomaſia, ſeu Annominatio? R. Eſt Figura, qua paululum immutata verba atque deflexa in oratione ponuntur. Sive Paronomaſia eſt, cùm vox alia penè ſimilis diſſimili ſenſu ſubjungitur, & mutatione litteræ quæritur venuſtas, quæ delectet, aut pugnat.

Hæc Figura levis alioqui, ſententiarum pondere implenda eſt. Fit quatuor modis.

I. Adjectione litterarum, aut ſyllabarum. *Vt*, In calamitoſa fama, quaſi in perniciosa flamma, emit morte immortalitatem.

II. Earum detractione. *Vt*, Amore fecit, non more: Non exigo ut immoriaris legationi, ſed immorare.

III. Earumdem commutatione in compoſitis. *Vt*, Oportet juvenilem impetum reprimi, non opprimi. Ut abs te non emiſſus ex urbe, ſed imiſſus in urbem eſſe videatur.

IV. Tranſlatione, ſeu inverſione unius litteræ vel in primis ſyllabis, vel in mediis, vel in extremis. *Vt*, Parvo eſt animo, ne dicam pravo. Oportet deligere quem velis diligere. Ex aratore Orator factus eſt.

SIMILITER CADENS.

Quid eſt Similiter Cadens? R. Eſt Figura, qua in eoſdem caſus nomina, & in eadem tempora cadunt verba, ſeu initio, ſeu in fine, aut medio. Ut, pro lege Manil. Ac primùm quanta innocentia debent eſſe Imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanto ingenio? quanta humanitate? Et per Arch. Poet. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem?

SIMILITER DESINENS.

Quid eſt Similiter Deſinens ? ℞. Eſt Figura, in qua exitus ſono ſunt ſimiles. Ut Cicero in Verrem: Cùm fana ſpoliârint, cùm tot homines innocentes morte; cruciatu, cruce affecerit, cùm prædonum duces acceptâ pecuniâ dimiſerit. Et pro lege Manil. Ut ejus ſemper voluntatibus non modò cives aſſenſerint, ſocii obtemperârint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti tempeſtateſque obſcundârint.

COMPAR.

Quid eſt Compar, ſeu Iſocolon? ℞. Eſt Figura, qua orationis membra conſtant ferè pari numero ſyllabarum. Ut pro lege Manil. Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè latéque diſperſum Cn. Pompejus extremâ hyeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit. *Item*, Cum triſtibus ſeverè, cum remiſſis jucundè, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audacter. Vel Hoc ſentire prudentiæ eſt, facere fortitudinis, & ſentire verò & facere perfectæ cumulatæque virtutis.

ANTITHETON.

Quid eſt Antitheton, ſeu Contrapoſitum? ℞. Eſt Figura, qua vel ſingula ſingulis opponuntur. *Ut*: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Cædam inermis armatis, innocens nocentibus, privatus furibundo magiſtratui. Vel bina binis opponuntur. *Ut*: Non noſtri ingenii, veſtri auxilii eſt. Eſt hæc non ſcripta, ſed nata lex. Vel multa multis opponuntur. *Ut*: Quàm non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus.

Hæc Figuris delectat, ſed ſine affectione? ut, cùm in acres incidit ſenſus, innata videatur eſſe, non accerſita.

COMMUTATIO.

Quid eſt Commutatio? ℟. Eſt Figura, qua duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ità afferuntur, ut à priore poſterior contraria priori proficiſcatur. *Vt*: Non ut edem vivo, ſed ut vivam edo. *Bem.* Ut & ſine invidia culpa plectatur, & ſine culpa invidia ponatur. Vivit Chriſtianus ut aliquando moriturus, moritur ut ſemper victurus.

De Correctione, & Dubitatione agemus in ſequenti Capite.

CAPUT IV.

De Figuris Sententiarum.

Hic Maximè Elocutio ſita eſt. Igitur hæ figuræ accuratioribus exemplis illuſtrandæ ſunt, quarum formâ mentes adoleſcentûm imbuantur. Quintil. *lib. 9. cap. 2.*

Quot ſunt Figuræ Sententiarum? ℟. Viginti quinque: Interrogatio, Reſponſio, Subjectio, Occupatio, Correctio, Dubitatio, Communicatio, Proſopopœja, Apoſtrophe, Hypotypoſis, Apoſiopeſis, Ethopœja, Emphaſis, Suſtentatio, Prætermiſſio, Licentia, Conceſſio, Interruptio, Ironia, Diſtributio, Permiſſio, Deprecatio, Execratio, Epiphonema, Exclamatio. Harum, ut videbimus Figurarum aliæ docent, aliæ delectant, aliæ flectunt. Docent præſertim Occupatio, Subjectio Communicatio, Conceſſio, Suſtentatio, Correctio, Prætermiſſio, Diſtributio. Delectant Ethopeja, Hypotypoſis, Proſopopeja, Apoſtrophe. Movent Exclamatio, Deprecatio, Execratio, Licentia, Dubitatio, Interrogatio, Ironia, Emphaſis, Epihonema.

ARTICULUS I.

Interrogatio Reſponſio.

QUid eſt Interrogatio? ℞. Eſt Figura, quæ rem dubiam non quærit, ſed in laudationibus ac vituperiis, aliiſque moribus exprimendis adhibetur. Quintil. *lib. 9. cap. 2.*

Fit decem modis.

I. Inſtando. *Vt*, Quouſque tandem abutêre, Catilina, patientiâ noſtrâ? patêre tua conſilia non ſentis? & totus denique hic locus. Quantò enim magis ardet, quàm ſi diceretur, diu abuteris patientia noſtra, patent tua conſilia. Sic Divinat. in Verrem. Tamen his invitiſſimis te offeres? tamen in aliena cauſa loquêre? tamen eos defendes, qui ſe ab omnibus deſertos potiùs, quàm abs te defenſos eſſe malunt.

II. Interrogando de eo, quod negari non poteſt. *Vt*, An dies, hominem non eſſe à te interruptum, quem palàm, & in ipſa civitatis luce occidiſti? Cic. Verr. VII. *num.* 145. Quid eſt, Verres, quid ad hæc cogitas reſpondere? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen? num quid horum dicere iſtis defenſoribus tuis audes?

III. Quærendo de eo, cui reſpondere ſit difficile. *Vt*, Centùmne pedites propè inermes mille cataphractis militibus obſtitiſſent? quo tandem modo? qua ſpe utilitatis? qua ratione prudentiæ? Cic. pro Plancio, *num.* 48. Quid taces? quid diſſimulas? quid tergiverſaris? etiam atque etiam inſto, atque urgeo: inſector, poſco, atque adeò flagito crimen: quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius, tu oſtendito, ſi poteris, vitium.

IV. Jocando & deridendo. Ut pro Roſc. Amer. *num.* 54. Quid ergo afſers, quare id factum putemus? verè nihil potes dicere. Finge aliquid ſaltem commodè, ut non planè videaris id facere, quod apertè facis, hujus miſeri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere. Exhæredare filium voluit, quam ob cauſam? neſcio. Exhæredavítne? non. Quis prohibuit? cogitabat. Cogitabat? cui dixit? nemini.

V. Invidiam alicui accerſendo. Ut pro Sextio, *num.* 17. Quid dicam, Conſules? hoccine ut ego appellem nomine everſores hujus imperii? proditores veſtræ dignitatis? hoſtes bonorum omnium? qui ad delendum Senatum, affligendum Equeſtrem ordinem, extinguenda omnia jura, atque inſtituta majorum, ſe illis faſcibus, cæteriſque inſignibus ſummi honoris atque imperii ornatos eſſe arbitrabantur?

V I. Miſerationem excitando. Ut: Si non apud Virgilium *Æneid. II.* Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt accipere!

V I I. Admirationem movendo. Ut, idem Virgil. *Æneid. III.* Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames?

V I I I. Indignationem concitando. *Vt*, Jacet auctoritas mea perfidia artibus ac dolis afflicta, & me quiſpiam modò ut ducem vereretur ac principem? Sic ruſſus apud Virgilium, *Æneid.* 1. Et quiſquam numen Junonis adoret præterea?

I X. Acrius imperando. Ut iterum *Æneid. IV.* Non arma expedient, totaque ex urbe ſequentur?

X. Seipſum alloquendo. *Æneid. XII* Quid agam; aut quæ jam ſatis ima dehiſcat terra mihi?

Ex quibus vides accerrimam eſſe hanc Figuram, & ſummis Oratoribus familiarem.

Quid eſt Reſponſio? R. Eſt Figura, qua unum interroganti aliud, quod utilius eſt, reſpondetur, vel ad rem augendam. *Vt*, Rogatus teſtis, an ab reo vapulaſſet? & innocens, inquit. Vel ad rem minuendam. *Vt*, An hominem occidit? latronem, & parricidam. Quintil. *ibid.*

ARTICULUS II.

Subjectio.

QUid eſt Subjectio? R. Eſt Figura, qua Orator vel interrogat ſeipſum, & reſpondet ſibi, vel cum alium interrogavit non expectat ejus reſponſum, ſed aliquid de ſuo addit. Quintil. *lib.* 9. *cap.* 2. *Vt*, Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperat? at egebas. Cicero Philip. 2. *num.* 2. Quid putem? contemptúmne me? non video nec in vita, nec

nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocri arte ingenii, quid deſpicere poſſit Antonius. An in Senatu facillimè de me detrahi poſſe credidit? qui ordo clariſſimis civibus benè geſta Reip. teſtimonium multis, mihi uni conſervatæ dedit? An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium eſt: quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi, & pro me, & contra Antonium dicere? Illud profectò eſt: non exiſtimavit ſui ſimilibus probari poſſe ſe eſſe hoſtem patriæ, niſi mihi eſſet inimicus. Et de Haruſp. Reſp. *num.* 23. Tu meam domum religioſam facere potuiſti? etqua mente? qua invaſeras. Quâ manu? qua diſturbaras. Quâ voce? qua incendi juſſeras. Quâ lege? quam ne illa quidem impunitate tua ſcripſeras.

Adverte perfectam illam eſſe Subjectionem, quæ tribus conſtat? Propoſitione, Enumeratione ſeu Remotione, Concluſione ut pro Roſc. Amer. *num.* 41. Rurſum igitur eodem revertamur, & quæramus, quę tanta vitia fuerint in unico filio, quare is patri diſpliceret. At perſpicuum eſt nullum fuiſſe. Pater igitur amens, qui odiſſet eum ſine cauſa, quem procreârat? At is quidem fuit omnium conſtantiſſimus. Ergo illud jam perſpicuum eſt, ſi neque amens pater, neque perditus filius fuerit; neque odii cauſam patri, neque ſceleris filio fuiſſe.

Hæc Figura plena eſt exornationis, uſurpaturque ad amplificationem vel in laude, vel in vituperio, aut cùm aliquid urgemus, ſuademus, aut diſſuademus: denique cum docemus, aut refellimus.

ARTICULUS III.

Occupatio, ſeu Prolepſis.

Quid eſt Occupatio, ſeu Prolepſis? ℞. Eſt Figura, qua id occupat Orator, quod ab adverſario poteſt objici. Ut VII. Verr. *num.* 2. Quid agam judices, quo accuſationis meæ rationem conferam; quò me vertam; ad omnes enim mos impetus, quaſi murus quidam boni nomen Imperatoris opponitur: video ubi ſe jacturus ſit Hortenſius: Belli pericula, tempora Reip. imperatorum

penuriam commemorabit: cùm deprecabitur à vobis, tùm etiam pro ſuo jure contendet, ne patiamini talem imperatorem Siculorum teſtimoniis populo Rom. eripi, néve obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiæ velitis. Et pro Arch. poët. *num.* 15. Quæret quiſpiam, quid? illi ipſi ſummi viri, quorum virtutes litteris proditæ ſunt, iſtâne doctrinâ, quam tu efferis laudibus eruditi fuerunt? difficile eſt hoc de omnibus affirmare: ſed tamen eſt certum quid reſpondeam; ego multos, *&c.* Sic pro Roſc. Amerin. Quid ad iſtas ineptias abis, inquies; quaſi verò mihi difficile ſit, quamvis multos nominatim proferre, qui ſuos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas aſſiduos eſſe cupiunt.

Hæc Figura non tantùm in refutationibus & probationibus uſurpatur, ſed etiam in exordiis. Ut pro Roſc. Credo ego vos, judices, mirari, &c. Et Divinat. in Verrem. Si quis veſtrûm, aut eorum, qui adſunt, fortè miratur, &c.

Præterea ſunt, inquit Quintilianus, diverſæ ſpecies occupationis. Eſt enim quædam præmunitio, qualis Ciceronis contra Qu. Cæcilium, quod ad accuſandum deſcendat, qui ſemper defenderit. Quædam Confeſſio: *ut*, pro Rabirio Poſthumo; quem ſua ſententia reprehendendum fatetur, quòd pecuniam regi crediderit. Quædam prædictio: *ut*, Dicam enim non augendi criminis gratia. Quædam emendatio, *ut*, Rogo ignoſcatis mihi ſi longius ſum evectus. Frequentiſſima præparatio, cùm pluribus vel quare facturi quid ſumus, vel quare fecerimus, dici ſolet. Item præſumptio: *ut*, Quanquam illa non pœna, ſed prohibitio ſceleris fuit. Reprehenſio: *ut*, Cives, cives, inquam, ſi hoc eos appellari nomine fas eſt.

ARTICULUS IV.

Correctio Dubitatio.

QUid eſt Correctio? R. Eſt Figura, quæ dictam ſententiam aliâ magis idonea corrigit. Ut pro Dejot. *num.* 16. At, credo, hæc homo inconſultus & temerarius, non videbat. Quis conſideratior

tior illo? quis teſtior? quis prudentior? quanquam hoc loco Dejotarum non tam ingenio, & prudentiâ, quàm fide & religione, vitæ defendendum puto. Et in Catil. Quamquàm quid loquar? te ut ulla res frangat? tu ut unquam corrigas? tu ut ullam fugam meditere ut ullum tu exilium cogites? utinam tibi iſtam mentem Dii immortales donarent? tametſi video, ſi mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta tempeſtas invidiæ nobis, ſi minus in præſens tempus recenti memoria ſcelerum tuorum, at in poſteritatem impendeat.

Alia eſt Correctio verborum, quæ tollit verbum, quod dictum eſt, & pro eo magis idoneum reponit. *Vt*, Ego ſemper omni officio, ac potiùs pietate patrem colui, *vel*, ſed ſtuporem hominis, ne dicam pecudis, attendite. In hac vita quos ſumptus quotidianos? quas effuſiones fieri putatis? quæ verò convivia? honeſta credo in ejuſmodi domo, ſi domus hæc habenda eſt, potiùs quàm officina nequitiæ, & diverſorium flagitiorum omnium.

Quid eſt Dubitatio? R. Eſt Figura, in qua Orator quærit, quid potiſſimum ex pluribus agere debeat, & ſingula quodammodo refellit. *Vt*, Quid agam judices? ſi taceo, exiſtimabitis me ream: ſi loquor, mendacem eſſe putabitis.

Cicero pro Quinctio *num.* 56. Si iſta cauſa abs te tota per ſummam fraudem & malitiam ficta eſt? ſi vadimonium omninò tibi cum Quinctio nullum fuit? quò te nomine appellamus? improbum? at, etiamſi deſertum vadimonium eſſet, tamen in iſta poſtulatione, & proſcriptione bonorum improbiſſimus reperiebâre. Num malitioſum? non negas. Frudulentum? jam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. Audacem, cupidum, perfidioſum? vulgaria & obſoleta ſunt: res autem nova & inaudita, &c. Et pro Cluent. *num.* 4. Equidem quod ad me attinet, quò me vertam, neſcio: negem fuiſſe illam infamiam judicii corrupti? negem, &c.

Hæc Figura uſurpatur, cùm, ut res exaggeretur, ſuſpenſus auditorum animus teneri debet.

ARTICULUS V.

Communicatio.

QUid eſt Communicatio ? R. Eſt Figura, qua vel auditores, vel adverſarios, vel judices ipſos conſulimus. Ut II. in Verr. *num.* 32. Nunc ego, judices, jam vos conſulo, quid mihi faciendum putetis : id enim conſilii mihi perfectò taciti dabitis, quod egomet mihi neceſſario capiendum intelligo. Et pro Rabirio *num.* 22 Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re ac tempore? cùm ignaviæ ratio te in fugam atque in latebras compelleret; improbitas & furor Saturnini in Capitolium arceſſeret : conſules ad patriæ ſalutem ac libertatem vocarent : quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus ſectam ſequi, cujus imperio parere potiſſimùm velles. Præclara eſt Communicationis forma pro Quinctio, *num.* 53. Si de prædiis tuis ageretur; S. Nævi, ſi in parvula re captionis alquid vererêre, non ſtatim ad C. Aquilium, aut ad eorum aliquem, qui conſuluntur, concurriſſes? cùm jus amicitiæ, ſocietatis, affinitatis ageretur : cùm officii rationem atque exiſtimationis duci conveniret : eo tempore tu non modò C. Aquilium, aut L. Lucullum, ſed ne ipſe quidem te conſuluiſti: ſedne quidem ad te retuliſti: ne hæc quidem tecum locutus es : horæ duæ fuerunt. Quinctius ad vadimonium non venit: quid ago? ſi met hercule hæc tecum duo verba feciſſes : quid ago? reſpiraſſet cupiditas atque avaritia paululum : aliquid loci, rationi & conſilio dediſſes. Et paulò poſt. Ego pro te nunc hos conſulo, poſt tempus, in aliena re, quos tu in tua re, cùm tempus erat conſulere oblitus es. Quæro abs te, C. Aquili, L. Luculle, *&c.*

Valet Communicatio, cùm cauſæ noſtræ confidimus, & adverſarium refellimus.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Proſopopæja.

Quid eſt Proſopopœja? R. Eſt loquentis perſonæ ficta inductio; hocque genus locutionis mortuis quaſi ſurſum evocatis, & urbibus, formis etiam fictis, ut virtuti, & voluptati, tribui poteſt. Quintil. *lib. 9. cap. 2.*

Hæc Figura non vulgarem eloquentiæ vim habet ad ſuadendum, objurgandum, laudandum, & miſerandum. Cicero Milonem cum patria & ſecum loquentem inducit ad commiſerationem, *num. 94.* Me quidem, judices, exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſiduè, & quibus interſum quotidie: valeant, inquit, valeant cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſit hæc urbs præclara, *&c.*

Illuſtris eſt etiam, & ad objurgandum potens illa defuncti Ap. Clodii oratio in Clodiæ impotentis fœminæ præpoſteram libidinem. Pro Cœlio, *num. 33.* Exiſtat igitur ex iſta familia aliquis, ac potiſſimùm cæcus ille, qui profectò ſi extiterit, ſic aget & ſic loquetur: mulier quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuiſti, ut aurum commodares; aut tam inimica, ut venenum timeres? non patrem tuum videras, non patruum, non atavos audieras conſules fuiſſe: Ad hortandum verò Antonium: Quid ſi nunc ille Brutus reviviſcat, & hic ante pedes noſtros adſit, non hac uteretur oratione? ego reges ejeci, vos tyrannos introducitis? ego libertatem, quæ non erat, peperi, vos partam ſervare non vultis? ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi ſine periculo eſſe non vultis? Venuſtè idem Cicero patriam conquerentem facit L. Catilin. *num. 18.* Quæ tecum, Catilina, ſic agit, quodammodo tacita loquitur, nullum jam tot annos facinus niſi per te, nullum flagitium ſine te; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioq; ſacrorum impunita fuit ac libera: tu, &c. Poſtea eandem ſecum colloquentem inducit, *num. 27.*

Etenim

Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vitâ meâ multò eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis reſpub. loqueretur: M. Tulli quid agis; túne eum, quem hoſtem eſſe comperiſti, quem, *&c.*

Huc refertur.

I. Deliberatio, cùm quis ſe conſulit, quid agendum ſit, ut eleganter Cicero Verr. VII. *num.* 103. Occurrebat illa ratio: quid Cleomeni fiet? poterónę animadvertere in eos, quos dictò audientes eſſe juſſi; miſſum facere eum, cui imperium, poteſtatemque permiſi? poteróne eos afficere ſupplicio, qui Cleomenem ſecuti ſunt? ignoſcere Cleomeni, qui eos fugere & ſe conſequi juſſit? Pereat Cleomenes unà. Ubi fides? ubi execratio? ubi dextræ, complexuſque? Fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur. Cleomenem vocat, *&c.*

II. Sermocinatio, cum apta cuique perſonæ affingitur oratio. Ut, ſi de puero loquentes pueri ſermonem affingamus; item ſi ſenem, mulierem, ſervum, regem loquentem faciamus. Quod in rerum geſtarum narratione, in hiſtoria, poëmate, dum ſingula exprimere volumus, fieri conſuevit. Vide paſſim exempla apud Poëtas, præſertim Virgilium, Senecam, Terentium, Plautum, apud Hiſtoricos, &c.

III. Dialogiſmus, ſeu perſonarum collocutio (non interrupta ſcilicet, qualis eſt dialogus) frequens apud Ciceronem. Inſigniter eadem Verr. VII. *num.* 109. Alter parens erat domi ſuæ clarus & nobilis, qui, quia Cleomenem in defendendo filio læſerat, nudus penè eſt deſtitutus. Quid erat autem, quod quiſquam diceret? Cleomenem nominare non licet. At cauſa cogit. Moriêre, ſi appellaris: nunquam enim iſte eſt cuiquam mediocriter minatus. At remiges non erant. Prætorem tu accuſas? frange cervicem. Et pro Quinctio, *num.* 71. De re pecuniaria cupio contendere, non licet. At ea controverſia eſt. Nihil ad me attinet: cauſam capitis dicas; oportet. Accuſa, ubi ita neceſſe eſt. Non, inquit, niſi tu antè, novo modo, priore loco dixeris, dicendum neceſſariò eſt: præſtituendæ horæ ad arbitrium noſtrum: judex ipſe arceſſetur. Quid tu? tu aliquem patronum invenies, &c. Denique paulò infrà *num.* 77. Diffidebam, mehercule, C. Aquili, & cogitabam, *&c.* Tum mihi Roſcius & alia multa confirmandi mei cauſa dixit; *&c.* verumtamen,

men, quid ſi inquit, habes ejuſmodi cauſam, ut hoc tibi planum ſit faciendum, neminem eſſe, qui poſſit biduò ad ſummum triduò, ſeptuaginta millia paſſuum ambulare? taménne vereris hæc contra Hortenſium contendere! minimè, inquam. Sed quid id ad rem? nimirum, inquit, in eo cauſa conſiſtit. Quomodo? docet me ejuſmodi rem & factum, &c.

ARTICULUS VII.

Apoſtrophe.

QUid eſt Apoſtrophe? R. Eſt converſio orationis ad aliquem aut Deum, aut hominem, aut verò etiam ad res inanimatas, quas uti perſonas quaſdam compellamus. Quint. *lib.* 9. *cap.* 2. Gravis eſt & vehemens Figura ad invadendum adverſarium, ad vituperationes, laudes, commiſerationes, cohortationes, admirationes, indignationes, Cic. pro domo ſua, *num.* 104. O dii immortales! (vos enim hæc audire cupio) P. Clodius veſtra ſacra eruat? veſtrum numen horret? res omnes humanas religione veſtra contineri putat? Vide inſignem ad Deos Apoſtropham, quos læſit Verres, ultima Ver. in peroratione.

I. Catil. *num.* 1. indignatur & increpat: Quouſque tandem abutêre Catilina, patientiâ noſtrâ? quamdiu nos etiam furor iſte tuus eludet? Et in Piſon. *num.* 1. Jámne vides, bellua, jámne ſentis, quæ ſit hominnm querela frontis tuæ, *&c.*

Pro Sextio cohortatur, *num.* 101. Hæc imitamini, per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis. Hæc ampla ſunt, hæc divina, hæc immortalia.

Philipp. XIV. commendat milites in funebri laudatione, *num.* 32. Vos verò patriæ natos judico, quorum etiam nomen Marte eſt, ut idem Deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi, genuiſſe videatur. In fuga fœda mors eſt; in victoria glorioſa, *&c.* illi igitur impii, quos cæcidiſtis, etiam ad inferos pœnam parricidii luent: vos verò, qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis, piorum eſtis ſedem & locum conſecuti.

Pro

Pro domo ſua commiſeretur, *num.* 1. 3. O Qu. Catule, patremne appellem, an filium? &c. Pro Balbo ad amplificationem & commiſerationem res mutas & animâ carentes alloquitur, ipſiſque ſenſum tribuit, *num.* 13. Vos mutæ regiones imploro, & ſola terrarum ultimarum: vos maria, portus, inſulæ, littoraque quæ eſt enim ora, quæ ſedes qui locus, in quo non extent hujus cùm fortitudinis, tum verò humanitatis, tum animi, tum conſilii impreſſa veſtigia? Item pro Milone *num.* 86. Vos enim Albani tumuli, atque Lucii imploro, *&c.* Denique Verr. VII. *num.* 17. Si hæc non ad cives Rom. non ad aliquos amicos noſtræ civitatis, non ad eos, qui populi Rom. nomen audiſſent, denique ſi non ad homines, verum ad beſtias, aut etiam, ut longiùs progrediar, ſi in aliqua deſertiſſima ſolitudine ad ſaxa, & ſcopulos hæc conqueri & deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima tanta tamque indigna rerum atrocitate commoverentur.

ARTICULUS VIII.

Hypotipoſis.

QUid eſt Hypotipoſis? R. Eſt rerum geſtarum talis expreſſio, ut adhuc geri & ante oculos eſſe videantur.

I. Uſurpatur ad motus concitandos, ut Philip. XI. *num.* 67. Ponite vobis ante oculos miſeram quidem illam & flebilem ſpeciem, ſed ad incitandos animos veſtros neceſſariam: nocturnum impetum in urbem Aſiæ clariſſimam, irruptionem armatorum in Trebonii domum, cùm miſer ille prius latronum gladios videret, quàm quæ res eſſet, cognoviſſet, *&c.*

II. In narrationibus, ut Verrin. VII. *num.* 105. Hæc poſteaquam acta & conſtituta ſunt, procedit iſte repentè de prætorio inflammatus ſcelere, furore, crudelitate, in forum venit: navarchos vocari jubet, qui nihil metuerent, ſuſpicarentur, nihil, ſtatim accurrunt. Ille hominibus miſeris innocentibuſque injici catenas imperat. Implorare illi fidem populi Rom. & quare id faceret, rogare. Tunc iſte hoc

cauſæ dicit, quòd claſſem prædonibus prodidiſſent, fit clamor & admiratio populi, tantam eſſe in homine impudentiam, &c. Sic pro Roſc. Amer. Etiámne in tam perſpicuis rebus argumentatio quærenda, aut conjectura capienda eſt: nónne hæc eſt, quæ audiſtis, cernere oculis videmini, judices? non illum miſerum, ignarum casûs ſui, redeuntem à cœná videtis? non poſitas inſidias? non impetum repentinum? non verſatur ante oculos vobis in cæde Glaucia?

III. In notandis perſonarum geſtibus, ut item pro Roſc. Amer. *num.* 60. Erucius peroravit aliquando: aſſedit, ſurrexi ego, reſpirare viſus eſt, quod non alius potius diceret, cœpi dicere uſus eò animadverti, judices, eam jocari, atque alias res agere, antequam Chryſogonum nominavi: quem ſimul atque attigi, ſtatim homo ſe erexit, mirari viſus eſt, intellexi, quid eum pupugiſſet. Iterum ac tertiò nominavi, &c.

Huc referri poteſt Figura, quæ res etiam futuras & gerendas ſub aſpectum ponit. Mirè tractat hæc Cicero pro Milone, *num.* 33. quæ facturus fuiſſet Clodius, ſi præturam invaſiſſet. An verò vos, judices, ſoli ignoratis? vos hoſpites in hac urbe verſamini?

Hæc tranſlatio temporum erit verecundior, ſi hujuſmodi formulas dicendi præmittamus: Credite vos intueri, hæc quæ non vidiſtis oculis, animis cernere poteſtis. Ita Cicer. IV. Catil. *num.* 11. Videor mihi hanc urbem videre lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubito uno incendio concidentem: cerno animo ſepultam patriam, miſeros atque inſepultos acervos civium: verſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi & furor in veſtra cæde bacchantis.

ARTICULUS IX.

Ethopœja.

QUid eſt Ethopœja? R. Eſt imitatio vitæ ac morum alienorum. Valetque hæc Figura ad motus præſertim odii concitandos. Quintil. *lib.* 9. *cap.* 2. Auth. ab Heren. Ita Cicero Rullum truculentiùs ſe gerentem deſcribit, Agraria II. *num.* 22.

Jam

Jam deſignatus Conſul alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur, veſtitu obſoletiore, corpore inculto ac horrido, capillatior quàm antè, barbaque maiore, ut oculis & denunciare vim tribunitiam, & minitari Reip. videretur. Et poſt reditum in ſenatu mollem & effeminatum Gabinium depingit. Primùm proceſſit, qua autoritate vir! vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillitio, gravibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce & tumulenta, &c.

Pulchra eſt item Ethopœja Gabinii, & Piſonis, *num.* 17. Pro Sextio. Quorum ſi nondum ſcelera, vulneraque inuſta Reipub vultis recordari, vultum atque inceſſum animis intueamini: faciliùs facta eorum occurrent mentibus veſtris, ſi ora ipſa oculis propoſueritis. Alter unguentis affluens calamiſtrata coma, contemnebat Equites Rom. minitabatur ſenatui, venditabat ſe operis, atque ab iis ſe receptum prædicabat. Alter, ô dii boni! quàm teter incedebat! quàm truculentus! quàm terribilis aſpectu! unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen Reip. diceres intueri, &c.

ARTICULUS X.

Apoſiopeſis.

QUid eſt Apoſiopeſis, quam Cicero reticentiam, nonnulli interruptionem vocant? R. Eſt Figura, qua ſermonem abrumpendo ſententiæ partem ſupprimimus, ut affectum ſignificemus, vel iræ ut apud Virgil. *lib.* 1. Æneid. Quos ego, ſed motos præſtat componere vultus. Vel audaciæ, ut Æneid. IX. Ecquis erit mecum, ô juvenes, qui primus in hoſtem? Vel pudoris. Ut, Ecloga III. Parciùs iſta viris tamen objicienda momento: Novimus & qui te, tranſverſa tuentibus hircis. Et quo, ſed faciles nympha riſere, ſacello. Vel modeſtæ ambitionis. Ut V. Æneid. Non jam prima peto Mneſtheus: neque vincere certo (quamquam ô!) ſed ſuderent, quibus hæc, Neptune, dediſti: Extremos pudeat rediiſſe, *&c.* Vel commotionis gravioris, aut minarum,

rum. Ut Cic. Epiſt. ad Atticum. Eſt hic quidem timoris cauſa, illa verò, &c. ſed ſtomachari deſinamus.

Denique etiam gravitatis cauſa: nam graviora putantur, quæ latent, aut reticentur.

ARTICULUS XI.

Emphaſis, Suſtentatio.

Quid eſt Emphaſis? R. Eſt cùm ex aliquo dicto latens aliquod eruitur, Auctor ad Heren. Vel ut Cicero definit, eſt Figura, qua plus ſignificat Orator, quàm dicat. *Ut*, Venit lectica Mathonis, plena ipſo. Intelligitur enim Mathonem craſſiſſimum fuiſſe, qui lecticam impleret. Et Virgil. de Cyclope: Jacuitque per antrum immenſum. Ubi prodigioſam illam corporis magnitudinem à loci ſpatio intelligimus.

Quid eſt Suſtentatio? R. Eſt Figura, qua diu ſuſpenduntur auditorum animi, atque aliquid deinde inexpectatum ſubjungitur. Quintil. *lib. 9. cap. 2.* Ut Verr. VII. Ergo ejus juſſu homines comprehenſi. Quid deinde? quid cenſetis? furtum fortaſſe, aut prædam expectatis aliquam? (Tum multis interjectis) Etiamnum mihi expectare videmini, judices, expectate facinus quàm vultis improbum, vincam tamen expectationem omnium. Tandem cùm diu ſuſpendiſſet animos, ſubjecit, quod multò improbius eſt. Illi nomine ſceleris conjurationis damnati, ad ſupplicium traducti, ad palum allegati, repentè multis millibus hominum inſpectantibus, occiſi ſunt. *Idem*, archipiratam hunc optimæ, tutiſſimæque cuſtodiæ non audet committere, denique Syracuſas, totas timet: amandat hominem, quò? Lilybeum fortaſſe? video: tamen homines maritimos non planè reformidat. Minimè, judices? Panormum igitur? audio: quamquam Syracuſis, quoniam in Syracuſano captus erat, maximè, ſi minus ſupplicio affici, at cuſtodiri oportebat? ne Panormum quidem. Quid igitur? quo putatis? ad homines à Piratarum metu & ſuſpicione alienos, *&c.*

Elegans eſt hæc Suſtentatio, cùm dubitationem adjunctam habet, uſurpaturque præcipuè in narrationibus ad rem exaggerendam, & pro attentione.

ARTICULUS XII.

Præteritio.

QUid eſt Præteritio, ſeu prætermiſſio? R. Eſt Figura, quâ dicimus non præterire, aut nolle dicere, quod maximè dicimus. Auth. ad Heren. Cicero I. in Rullum, *num.* 21. Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ atque damni: prætermitto illa, quæ nemo eſt, quin veriſſimè & graviſſimè conqueri poſſit: non dico, *&c.* prætermitto hanc omnem orationem, & concioni reſervo, de periculo ſalutis ac libertate loquor. Et pro lege Manil. Sinite me hoc loco (ſicut Poëtæ ſolent) præterire noſtram calamitatem, quæ tanta fuit, ut eam ad aures Luculli non ex prælio nuncius, ſed ex ſermone rumor afferret.

Uſurpatur hæc Figura I. in tranſitionibus. II. in exaggerandis rebus. III. in objurgationibus. Deniq; cùm aliquid, quod dicimus, indecorum eſt: ut ſæpè apud Ciceronem, Philipp. II. *num.* 47. Sed jam ſtupra & flagitia ommittam. Sunt quædam, quæ honeſtè non poſſum dicere tu autem eò liberior, quòd ea in te admiſiſti, quæ à verecundo inimico audire non poſſes. In Var. *num.* 11. At illud tenebricoſiſſimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar, lætere, licet impunè per me parietes in adoleſcentia perfoderis, vicinos compilâris, matrem verberâris. Habeat hoc præmium tua indignitas, ut adoleſcentiæ turpitudo obſcuritate & ſordibus tuis obtegatur. Sic in Piſon. Lateant libidines ejus illæ tenebricoſæ, quas fronte & ſupercilio, non pudore & temperantia contegebat.

ARTICULUS XIII.

Licentia.

QUid eſt Licentia? ℞. Eſt orationis libertas atque fiducia liberiùs affectum mentis exprimens. Quintil. *lib.* 9. *cap.* 2.

Uſurpantur I. cùm apud eos, quos vereri aut metuere debet Orator, tamen aliquid pro ſuo jure dicit, quod eos minimè offendat. Ut pro Ligar. Vide quàm non reformidem, vide quanta lux libertatis & ſapientiæ tuæ mihi apud te dicendi oboriatur: quantum potero voce contendam, ut hoc populus Rom. exaudiat. Suſcepto bello Cæſar, geſto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, judicio meo ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſuſcepta contra te.

II. Valet ad comminandum. Ut, pro Sylla *num.* 47. Fero ego te, Torquate, & jam dudum fero, *&c.*

III. Valet ad fiduciam oſtendendam. Ut I. in Rullum *num.* 23. Erraſtis Rulle vehementer & tu & nonnulli collegæ tui, qui ſperaſtis vos contra conſulem veritate, non oſtentatione popularem, poſſe in evertenda Repub. populares exiſtimari. Laceſſo vos, in concionem voco, populo Rom. diſceptatore uti volo.

IV. Valet ad inſultandum adverſario. Ut pro domo ſua *num.* 99. Quare (diſrumpatur licet iſta furia, atque audiat hæc ex me quoniam laceſſivit) bis ſervavi, ut conſul, togatus armatos vicerim: privatus, conſulibus armatis ceſſerim.

V. Valet ad commovendum. Ut Philippica X. *num.* 19. Poſtremò (erumpat enim aliquando verâ & me digna vox) ſi veteranorum nutu mentes hujus ordinis gubernator, omniaque ad eorum voluntatem dicta factaque noſtra referuntur optanda mors eſt, quæ civibus Rom. ſemper fuit ſervitute potior.

VI. Valet ad adulandum. Ut pro Marcello *num.* 26. Itaque illam tuam præclariſſimam & ſapientiſſimam vocem invitus audivi: ſatis te diu vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ. Satis, ſi ita vis, naturæ for-

taſſe;

taſſe: addo etiam, ſi placet, gloriæ; at, quod maximum eſt, Patriæ certò parum.

ARTICULUS XIV.

Conceſſio.

Quid eſt Conceſſio? R. Eſt Figura, quâ, videmur ætiam aliquid iniquum vel pari, vel adverſario concedere, fiduciæ causâ. Quintil. *lib.* 9. *cap.* 2. *Vt*, Verres ſit fur, ſit adulter, ſit ſacrilegus: at bonus eſt imperator, & felix, & ad dubia reip. tempora reſervandus. Pro Roſcio. Amer. *num.* 73. Eſto, parricidii cauſam proferre non potes, tametſi ſtatim viciſſe debeo: tamen de meo jure decedam, & tibi, quod in alia cauſa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentiâ. Non quæro abs te quare patrem Sex. Roſcius occiderit, quæro quomodo occiderit. Et pro Quinctio, *num.* 56. Non dubitavi, inquit, cùm vadimonium eſſet deſertum, bona proſcribere, improbe: verùm, quoniam tu id tibi arrogas, & concedi poſtulas, concedamus.

Hæc Figura non parum habet jucunditatis cùm ironiæ juncta eſt. Ut Verr. V. Noli iſto modo agere cum Verre, noli ejus facta ad antiquam religionis rationem exquirere: concede ut impunè emerit, modò bona ratione emerit, nihil ab invito, nihil per injuriam. Sic agam, &c. Vel cùm aliquid imminuit Orator, ut quæ dicturus eſt, graviora videantur: ut eadem Verr. Lævia ſunt in hoc reo crimina: metum virgarum, &c.

Acris eſt hæc ironica conceſſio in Anton. Sed ſit beneficium, quòd me non occideris, quando accipi majus à latrone non potuit.

Interdum conceſſio fit quaſi per diſſimulationem, & eſt artificioſa quædam probatio. *Vt*, Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui prætor fieres, quàm Catonem. Terent. Tibi ſi iſtuc placet, profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet. Virg. de Didone ad Æneam. I.

Sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

Cæterùm conceſſio frequenter exprimitur particulis, Eſto, Sit ita, fac, *&c.*

ARTICULUS XV.

Parentheſis, Ironia, Permiſſio.

Quid eſt Parentheſis, ſeu interruptio ? ℞. Eſt brevis declinatio à propoſito: Quintil. *lib. 9. cap.* 2. nam longior illa digreſſio, de qua lib. 1. egimus, non eſt Figura. Virgilius:

> *Varre, tuum nomen ſuperet modò Mantua nobis*
> *(Mantua væ miſeræ nimiùm vicina Cremonæ)*
> *Cantantes ſublime ferent ad ſydera cygni.*

Cicer. Videte, Judices, qualem (nolo enim graviore appellatione uti) accuſatorem in medium adduxerit. Adhibetur Parentheſis ad rem magis explicandam, & ad rationem breviter ſubjiciendam.

Quid eſt Ironia? ℞. eſt fictio totius voluntatis, quâ ſentitur aliud & innuitur, quàm dicitur. Quintil. *lib. 9. cap. 2.* Ut, Pro Ligar. Novum crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum! &c. ſeriò loqui videtur, ubi Tuberonem deridet. Sic exordium VII. Verr. ironicum eſt; præſertim, *num.* 3. Non poſſum diſſimulare, Judices, timeo ne C. Verres propter hanc virtutem eximium in re militari, omnia, quæ fecit, impunè fecerit: venit enim mihi in mentem, &c. *num.* 25. Habetis hominis conſilia, diligentiam, vigilantiam; cuſtodiam defenſionemque provinciæ. Summa illuc pertinet, ut ſciatis, quoniam plura genera ſunt imperatorum, ex quo genere iſte ſit. Ne diutiùs in tanta penuria virorum fortium talem imperatorem ignorare poſſitis: non ad Q. Maximi ſapientiam, neque ad illius ſuperioris Africani in re gerenda celeritatem, neque ad hujus, qui poſtea fuit, ſingulare conſilium, neque ad Pauli rationem ac diſciplinam, neque ad C. Marii vim atque virtutem, ſed ad aliud genus imperatorum eſt referendum, ſanèque diligenter retinendum & conſervandum, quæſo, cognoſcite. In hac Oratione paſſim, & in toto Cicerone ſunt Ironiæ & joci:

videtur enim ad ejuſmodi eſſe Cicero, ut ait, Quintilianus, affectatior.

Hæc Figura differt ab Ironia, quæ Tropus, eſt, quòd Tropus brevior ſit & apertior.

Quid eſt Permiſſio? R. Eſt Figura Conceſſioni affinis, cùm vel nobis, vel Judicibus, vel auditoribus confidimus, nec quidquam mali vereri nos oſtendimus. Quintil. *lib. 9. cap. 2. Ut*, Sed ego jam, judices, ſummum ac legitimum cauſæ meæ jus omitto, vobis quod æquiſſimum videatur, ut conſtituatis, permitto: non enim vereor, quin etiam ſi novum vobis ſit inſtituendum, libenter id, quod poſtulo propter utilitatem communis conſuetudinis ſequamini.

ARTICULUS XVI.

Diſtributio.

QUid eſt Diſtributio? R. Eſt Figura, quâ aliquid in plures partes diſtribuitur, quarum unicuique ratio deinde ſua ſubjungitur. Quintil. Auct. ad Heren. *Ut*, Alexandro Macedoni neque in deliberando conſilium: neque in præliando virtus, neque in beneficio benignitas deerat: nam cùm aliqua res dubia accidiſſet, apparebat ſapientiſſimus; cùm autem confligendum eſſet cum hoſtibus, fortiſſimus; cùm verò præmium dignis tribuendum, liberaliſſimus. Cicer. in Piſon. *num.* 64. Age, ſenatus odit te (quod eum tu facere jure concedis) afflictorem & proditorem non modò dignitatis & auctoritatis, ſed omninò ordinis ac nominis ſui: videre equites Rom. non poſſunt, quo ex ordine vir præſtantiſſimus Lælius eſt, te conſule, relegatus plebs Rom. perditum cupit, in cujus tu infamiam ea, quæ per latrones & per ſervos de me egeras, contuliſti: Italia cuncta execratur, cujus idem tu ſuperbiſſimè decreta & preces repudiaſti.

Hæc Figura valet in amplificationibus: ita Cæſaris clementiam exornat Cicer. pro Marcel. *num.* 7. At verò hujus gloriæ Cæſar, quàm es paulò antè adeptus, ſocium habet neminem: totum hoc, quan-

tumcumque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit; quin etiam illa ipſa rerum humanarum domina, Fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert: tibi cedit: tuam eſſe totam & propriam fatetur. Item quàm elegans eſt hæc ejuſdem Ciceronis: Quid tam commune, quàm ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? ita vivunt, dum poſſunt, ut ducere animam de cœlo non queant; ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut non abluantur; ita poſtremò ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.

ARTICULUS XVII.

Deprecatio, Execratio, Epiphonema.

QUid eſt Deprecatio, ſeu Obſecratio, vel Obteſtatio? R/. Eſt Figura, qua opem alicujus vehementer imploramus. Quintil. *lib. 9. cap.* 2. Ut pro Dejotar. *num.* 8. Quam ob rem hoc nos primùm metu, C. Cæſar, per fidem; & conſtantiam, & clementiam libera, ne reſidere in te ullam partem iracundiæ ſuſpicemur. Per dexteram te iſtam oro, quam regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti: iſtam, inquam, dextram non tam in bellis & prœliis, quàm in promiſſis & fide firmiorem. Et pro Milon. *num.* 93. Quid reſtat, niſi ut orem obteſterque vos, Judices, ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro, quam ipſe non implorat: ego autem, repugnante hoc, & imploro, & expoſco. Nolite, *&c.*

Quid eſt Execratio? R/. Eſt Figura, qua malum alicui imprecamur. Ut pro Dejot. Dii te perdant, fugitive, ita non modo nequam, & improbus, ſed fatuus & amens es! Et Phil. VI. *num.* 12. Igitur eſt patronus Antonius? malam quidem illi peſtem, clamori enim veſtro aſſentior, non modò hic latro, quem clientem nemo habere velit. Item Philipp. XIII. *num.* 48. Quin tu abis in malam peſtem, malumque cruciatum? ad te quiſquam veniat? *&c.*

Quid ſt Epiphonema ? ℞. Eſt rei narratæ, vel probatæ ſumma acclamatio : Ut Virgilius, Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Cicero, Hoc ſentire prudentiæ eſt, facere fortitudinis, & ſentire verò, & tacere, perfectæ cumulatæque virtutis.

Hæc Figura eſt veluti corollarium, ut ajunt, quod, quæ admirationem habent, complectitur. Ita Cicer. Facere enim probus adoleſcens periculosè, quàm turpiter perpeti maluit.

ARTICULUS XVIII.

Exclamatio:

QUid Eſt Exclamatio? ℞. Eſt Figura in qua ſignificamus aliquem affectum rei cujuslibet compellatione. Quintilian. *lib.* 9. *cap.* 2. ſoletque poſt rem aliquam inſignem multis amplificatam & probatam adhiberi : vel ad indignationem. Ut in Catilin. O tempora ! ô mores ! ſenatus hoc intelligit, conſul videt : hic tamen vivit ? Et pro Cœl. *num.* 59. Prô dii immortales, cur interdum in hominum ſceleribus maximis connivetis, aut præſentis fraudis pœnam in diem ſervatis ? vel ad miſericordiam. Ut pro Sylla, *num.* 91. O miſerum & infelicem illum diem, quo conſul omnibus centuriis P. Syllæ renunciatus eſt ! ô falſam ſpem ! Vel iracundiam. O peſtis ! ô labes ! ô tenebræ ! ô lutum ! ô ſordes ! ô portentum in ultimas terras deportandum ! Vel admirationem. Ut pro Ligar. *num.* 6. O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monumentis decorandam.

CA.

****

CAPUT V.

De ſuavitate Elocutionis.

SUavitas eſt altera virtus Elocutionis, ut jam diximus, ipſaque conſiſtit in Oratorio numero, & periodo, cujus partes ſunt inciſa & membra.

ARTICULUS I.

Numerus Oratorius.

QUid eſt Numerus? R. Eſt Conveniens ſententiæ ſonus ex partium compoſitione naſcens. Vel è Cicerone: Numerus eſt modus quidam orationis, qui è permiſtis & confuſis pedibus, & temporum, quibus conſtat, apta ratione naſcitur. Nomine temporum intellige quantitatem Syllabarum.

Cur numeroſa Oratio inventa eſt? R. Quia aures, aut potiùs animus aurium Judicio naturalem quandam in ſe continet vocum omnium dimenſionem. Cicero *de Orat.* 3. Unde longiora & breviora judicant aures, moderata expectant, mutila & quaſi decurtata ac immoderatiùs excurrentia ſentiunt, quibus offenduntur. Ut ergo in re Poëtica verſus inventus eſt terminatione aurium, & obſervatione prudentium: ſic etiam in oratione notatum eſt (quæ notatio peperit artem) certos eſſe concurſus concluſioneſque verborum, quæ aptam, & concinnam, & ſuavem redderent orationem.

Quid cavendum in Numero oratorio? R. Ne verſus efficiatur: nam quamvis oratio numeroſè cadere debeat, nullus eſt tamen certus in ea numerus,

ſicut in verſu, v. g. Heroico ſunt dactili & ſpondei. Unde omnis nec claudicans, nec fluctuans, ſed æqualiter conſtanterque ingrediens, numeroſa habetur Oratio: nam numeroſum putatur, non quod totum conſtat è numeris, ſed quod ad numeros proximè accedit.

ARTICULUS II.

Pedes Oratorii Numeri.

Quid ſunt Pedes Oratorii numeri? ℞. Cicero de Orat. cenſet omnes eſſe poſſe, & in oratione permiſceri: ſed Creticum, Dochimum, Dichoræum, & Pæonas cæteris anteponit.

In quà parte Orationis debet eſſe numerus Pedum? ℞. In tota oratione, non ſolùm in fine, ut quidam putant: licèt aures finem maximè expectent.

Quinam Pedes initium Orationis decent? ℞.

I. Creticus: *Vt*, Neminem veſtrûm ignorare arbitror.

II. Pæon prior: *Vt*, At beneficio ſum uſus tuo.

III. Bacchius: *Vt*, Vehebatur in eſſedo.

IV. Dichoræus: *Vt*, Non enim poteſt natura.

V. Dactylus, & Anapæſtus.

Quinam Pedes medium Orationis decent? ℞. Maximè Pæon primus & quartus: ut, Vincat aliquando cupiditas. Vel Potuit aliquando conficere.

Quinam Pedes finem Orationis decent? ℞.

I. Creticus, & Dichoręus: *Vt*, Cum victoria & exercitu conſeratis.

II. Creticus duplex: *Vt*, In communionem tuorum temporum tulit.

III. Creticus triplex: *Vt*, Perpeti turpiter maluit.

IV. Creticus & Dactylus: *Vt*, Moribus conſonet.

V. Tribractis & Spondeus: *Vt*, Eſſe videatur. *Vel* Jucunditaſque ſapienti.

VI. Jambus & Diſpondeus: *Vt*, Ejus gloriam per tales viros infringendam.

VII. Denique Dochimus, qui pes omnium præclariſſimus

xiſſimus eſt : *Vt* Miror te Antoni, quorum facta imiteris, eorum exitus non perhorreſcere.

Sed in his obſervationibus minuta eſt omnis diligentia.

ARTICULUS III.

Inciſum.

QUid eſt Inciſum, ſeu Comma? ℞. Eſt dictio, vel oratio minor membro, ſeu colon, habens ſenſum perfectum extra membrum aut periodum ; at in periodo vel membro habens ſenſum dependentem. v. g. extra membrum : Catilina abiit, exceſſit, erupit, evaſit. In membro aut periodo ſunt hæc commata : Diuturni ſilentii, P. C. quo eram his temporibus uſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit, *&c.*

Inciſi autem (ſic dicitur quod quaſi incidat orationem) juſta magnitudo eſt, ut non extendatur ultra octo ſyllabas.

Quid eſt inciſim dicere? ℞. Eſt cum in ſingulis inciſis inſiſtit Oratio. Ut in Catil. Tenentur litteræ, ſigna manûs, denique uniuſcujuſque confeſſio. In Piſon. O ſcelus! ô peſtis! ô labes! Poſt redit. in Sen. Sine ſapore, elinguis, tardus, inhumanus, domi quàm libidinoſus? quàm impurus: quàm intemperatus?

Quando utimur hoc genere dicendi? ℞. Quando arguimus, refellimus, deridemus, contendimus.

ARTICULUS IV.

Membrum.

QUid eſt Membrum ſeu Colon? ℞. Extra periodum eſt Oratio longior commate. In periodo eſt ſenſus quidem utcumque perfectus, ſed tamen ſuſpenſus, & ex reliquo periodi corpore

dependens. *Vt*; Etſi vereor, judices, ne turpe ſit pro fortiſſimo-viro dicere incipientem timere, &c. Manca eſt oratio, & ſuſpenſa, dum abſolvatur periodus.

Membrum, ſive careat commate, ſive non, eſt ſæpe circiter octodecim ſyllabarum, & par vel longius carmine hexametro. Imò nonnunquam ultra triginta ſyllabas extenditur.

Quibus conſtat Membrum? ℞. Inciſis & commatibus: nam ſicut membrum eſt pars periodi, ita inciſum eſt pars Membri: id adeò intellige cùm Membrum in periodo includitur, aut inciſum in Membro: nam aliquando divelluntur. Ut hæc ſeparata ſunt inciſa, falli, decipi, errare: veni, vidi, vici. Uti diximus.

Obſerva ſubindè miſceri membra cum inciſis; valereque membratim dicere ad narrandum, refellendum, invehendum. *Vt*, Quouſque tandem abutêre, Catilina, patientiâ noſtrâ &c. Et pro Ligario: Quid enim tuus ille, Tubero, diſtrictus, in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, ardor animi? quid cupiebas, quid optabas, *&c.*

Quid eſt Membratim dicere? ℞. Eſt cùm in ſingulis Membris inſiſtit oratio, neque eſt in periodum illigata. v. g. pro Milone. Itaque quando illius poſtea ſicca illa, quam à Catilina acceperat, conquievit, hæc intentata vobis eſt, huic ego vos objici pro me non ſum paſſus, hæc ipſam Appiam viam monumentum ſui nominis nece Papyrii cruentavit.

ARTICULUS V.

Periodus.

QUid eſt Periodus (quæ Latinè dicitur circuitus, ambitus, circumſcriptio, continuatio, comprehenſio, converſio, concluſio) ℞. Eſt Oratio, quæ ab antecedente ad conſequens quaſi in orbem fertur, quoad tota abſolvatur ſententia. *Vt*, Quanquam mihi frequens conſpectus veſter multò jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites; tamen

hoc

hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique patuit, non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt.

Obſerva ex Herbetio, in Periodo membrum aliud eſſe principale, aliud minus principale. Nam Periodus eſt tanquam totum integrum, quod ex partibus principalibus quantitatem habentibus, & minus principalibus, componitur, Principale eſt, ſine quo Periodus eſſe nequit: eſt duplex, antecedens & conſequens Periodi. Antecedens (quod alii principium, propoſitionem, protheſim vocant) eſt oratio, quæ in Periodo dumtaxat ſenſum inchoat & ſuſpendit: *ut*, Nam cùm antea per ætatem nondum hujus loci authoritatem contingere auderem. Conſequens, ſeu apodoſis, aut finis, eſt, quod ſenſum inchoatum & dependentem abſolvit, *ut*, Omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putavi. Membrum minus principale (quod intermedium dicitur) eſt quo ſublato Periodus ipſa manet, eſtque pars membri præcipui antecedentis aut conſequentis: *ut*, Statueremque nihil huc niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria afferri oportere.

Quot ſunt Periodorum ſpecies? ℟. Variæ pro multitudine partium, quibus conſtant. Etenim quæ duo membra continent, bimembres dicuntur, ſuntque breviſſimæ; ut I. De Orat. Quid tam eſt admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, aut ſolus, aut cum paucis poſſit facere? *Item*, Tibi verò, frater, neque hortanti deero, neque roganti: nam neque auctoritatæ quiſquam apud me plus valere te poteſt, neque voluntate.

Periodus alia trimembris, quæ tria membra habet: ut pro Quinctio. Etenim ſi veritate amicitia, ſi fide ſocietas: pietate propinquitas colitur: neceſſe eſt iſte, qui amicum, ſocium, affinem famâ & fortunis ſpoliare conatus eſt, vanum ſe; & perfidioſum, & impium eſſe fateatur.

Quadrimembris in Periodus eſt omnium præſtantiſſima, quia aures implet, neque brevior eſt, aut longior: & ad inſtar quatuor verſuum Hexametrorum v. g. Si quantum in agro locisque deſertis latronum inſania valet, tantùm in foro improbiſſimorum hominum poſſet audacia: careteret ille propemodum excuſatione temeritatis; qui bona & fortunas innocentium hîc tueri aggrederetur.

Quando utimur Periodis? ℞. Quando res copioſa eſt, & amplificanda, vel quando genus dicendi ſuave ac temperatum tractamus, uti in genere demonſtrativo. Maximè in exordiis.

Quid cavendum in periodis? ℞. Ne puerili verborum & inani numerorum ſono periodi compleantur: vel ne ſæpè in eadem oratione ſimili modo deſinant ad nauſeam: Variare enim oportet periodos.

Poſtremò licet optima periodus ſit quatuor membrorum, poteſt tamen ille numerus augeri & excreſcere ad ſex ſeptemve, aut nonnunquam (rarò licet) ad plures.

Pro Archia Poët. periodus ſeptem conſtat membris: quorum ſex ponuntur in antecedente, unum redditur in conſequente. In prima periodo pro Milone ſex membra reperies. In principio orationis poſt reditum ad Quir. ponitur circumſcriptio periodica: quæ plurima habet membra. In fine ſeptimæ Verrinæ perlonga eſt apoſtrophe, quæ pluribus, quàm quinquaginta conſtat membris: Nunc ego te, Jupiter, *&c.*

Denique his omnibus ſubjungo Pneuma, quod definitur oratio membris & inciſis diſtincta, ſine verborum ambitu ſententiam protrahens, quouſque patitur ſpiritus dicentis. Exemplum eſt pro Roſcio Amerino. Rogat oratque te Chryſogone, ſi nihil, *&c.*

ARTICULUS VI.

Varium dicendi genus.

Quot ſunt Dicendi genera, in quibus Orator debet excellere? ℞. Tria: Unum ſubtile, acutum, & tenue: Alterum vehemens, copioſum, & grave: Tertium mediocre, & quaſi ex utroque temperatum. Cicer. de Orat. Quintilian. *lib.* 9. *cap.* 1.

Cùm

Cùm enim tria ſunt Oratoris officia: docere, movere, & delectare; primum dicendi genus in docendo; ſecundum in movendo; tertium in delectando verſatur.

In primò autem poni debent acutæ crebræque ſententiæ, ornamenta etiam verborum, cum tropis, verecundè tamen parcéque adhibitis. Tertium aliquanto uberius eſt, quàm primum; ſed non tam amplum, quàm ſecundum: nam in hoc genere, licet verborum ac ſententiarum ornamenta liberiora ſunt, tamen nervorum vel minimum eſt, ſuavitatis autem plurimum. De hoc dicendi genere ita loquitur Quintilianus: medius hic modus, & tranſitionibus crebrior, & Figuris erit jucundior, egreſſionibus amœnus, compoſitione aptus, ſententiis dulcis, lenior tamen, ut amnis lucidus quidam, & virentibus utrimque *ſylvis* inumbratus. In ſecundo vis eſt maxima, amplificationes ſummæ, & Figuræ, & affectus.

His tribus generibus utetur Orator, ut res exiget, vel parva, vel mediocris, vel magna: nam parva ſubmiſsè, mediocria temperatè, magna graviter dicenda ſunt. Characterem tenuem & ſubtilem vide in orationibus pro Quinctio, pro Flacco, & pro Plancio. Vehementem ſtylum Verrina VII. In Catilin. In Antonium. In Piſonem, &c. Temperatum ac mediocrem pro lege Manilia, pro Marcello, pro Archia, &c.

CAPUT VI.

De quarta parte Rhetoricæ, ſeu de Memoria.

MEmoria (Eloquentiæ theſaurus) eſt firma orationis perceptio, eſtque duplex : altera naturalis, quæ naturâ ; altera artificialis, quæ artificio comparatur. Cicero *de Orat. 3.*

ARTICULUS UNICUS.

De Vſu Memoriæ.

QUænam tradi poſſunt de Memoriæ artificio præcepta? ℟. Quidam ea, quæ animo perceperunt, affigunt locis & imaginibus, ordineque ac intervallis diſtinguunt.

Quomodo Memoriâ utendum, quam à natura hauſimus? ℟. Oportet

I. Illam ſtudiosè exercere ab ineunte ætate.

II. Nunquam nimia rerum multitudine obruere.

III. In iis, quæ memoriæ mandamus, judicio uti potiſſimum ad ſeriem eorum atque junctionem advertendam, ut animo citiùs & tenaciùs hæreant.

IV. Cùm aliquid longius eſt, illud per partes, & quidem ſcripto diſtinctas, ediſcere.

V. Nocturnam quietem adhibere, hoc eſt, proximè veſperi ante cubitum, tum manè corpore ad quietem compoſito mandata repetere. Quintil. *lib. 9. cap. 2.*

CA-

CAPUT VII.

De quinta Parte Rhetoricæ, ſeu de Pronunciatione.

NOn parva eſt ad Eloquentiam neceſſitas Pronunciationis, quia ſine illa ſummi Oratores ſæpè in mediocribus & infimis habentur; cùm illa mediocres ſummorum ſæpè laudem & efficaciam obtinent. Eſt enim Pronunciatio, ſeu actio, quaſi corporis quædam eloquentia, quam natura præſtat, & diligentia auget, magni momenti ad perſuadendum. Quintil. *lib.* 11. *cap.* 2.

Quot habet partes Pronunciatio? ℟. Duas: Vocem, quæ aures movet; & Geſtum, qui oculos: per quos duos ſenſus omnis ad animum penetrat affectus.

ARTICULUS I.

Pars prima Pronunciationis, ſeu Vox.

QUænam in voce neceſſaria ſunt? ℟.

I debet eſſe ſonora & nitida.

II. Articulata (ne extremæ ſyllabæ abſorbeantur) legitimiſque interpunctionis diſtincta.

III. Cavenda eſt cantilatio, & clamor ultra vires ſpiritumque.

IV. Pro varietate rerum variè inflectenda eſt, ut ad iracundiam provocandam acuta fit & incitata, & crebrò incidens; ad miſerationem, & mœrorem flexibilis; ad metum demiſſa, hæſitans, & abjecta;

ad

ad voluptatem effuſa, hilaris, & tenera; ad vim contenta, vehemens, imminens quadam concitatione gravitatis. Ad modeſtiam gravis, & preſſa; item in precibus lenis & ſubmiſſa; in ſuaſionibus, monitionibus, pollicitationibus, & conſolationibus, gravis; in honorando fortis; in exponendo recta, & æquabilis. Quintil. *lib* 11. *cap.* 3.

Denique nihil ità gratiam præbet, ac renovat attentionem, dicentem etiam allevat, movetque auditorem, ac crebra vocis varietas, & mutatio, non modò in diverſis rebus, ſed etiam in iiſdem partibus, iiſdemque affectibus. Cæterùm in exordiis utimur ferè voce tranquilliori; in narratione, clara & aperta; in confirmatione, atroci, in Epilogo, excitata.

ARTICULUS II.

Pars ſecunda Pronunciationis; ſeu Geſtus.

QUid eſt Geſtus? ℞. Eſt oris totiuſque corporis motus & conformatio, Quintilianus, *lib.* 11. *cap.* 3.

Quid in Geſtu cavendum? ℞. Ne quid in eo ſuperfluum, aut minus delicatum, aut affectatum ſit; ſed motus animi rectè exprimat: varietas item & mutatio in Geſtu, uti in voce, ſæpè adhibenda eſt.

Quid de totius corporis motu præcipiendum? ℞. Ut ipſius corporis ſtatus ſit erectus, virilis, ac gravis laterum inflexio; oculis, capite, & humeris ſenſim obſecundantibus: nam Cicero corporis & laterum motu rebus conſentiente plusagi putat, quam ipſis manibus.

Quid in oris conformatione obſervandum? ℞. In ore maximè Geſtus conſiſtit, in quo eſt dominatus oculorum (nam omnis actio eſt animi, imago autem animi eſt vultus, indices oculi) Orator oculorum remiſſione, & conjectu, & hilaritate, varios animi motus ſignificabit, efficietque.

Igitur vultus & aſpectus nunc ſeverus ſit, nunc blandus; nunc alacer, & erectus, nunc triſtis, & ſub-

ſubmiſſus, pro rerum diverſitate, uti de voce diximus: maximè verò Geſtum oculus ſequatur.

Quid de capitis, colli, humerorum, pedum, & brachiorum motu ſentiendum? R. Capitis frequens motus in vitio eſt: non tamen dedecet aliquando vel annuendo confirmare, vel renuendo negare; vel capitis in latus inclinatione languorem, & averſione indignationem, aut alio ſimili motu dubitationem, admirationem, & ejuſmodi affectus ſignificare.

Collum neque contractum eſſe debet, neque tenſum, neque rigidum. Humeros dedecet jactare, vel attollere, vel contrahere.

Pedum ſupploſio non niſi in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis adhibenda eſt.

Brachia ne deorſum incompoſita pendeant: dexterum liberiùs proferre licet, ſed contrahimus, cùm remiſsè agimus, in contentionibus verò porrigimus.

Quid de geſtu manuum, in quibus magna eſt actio? R. Hæc in ſua Rhetorica Valleſius, quæ nos in Arte poëtica paulò aliter deduximus: Manus; niſi in ſummis affectibus, capitis altitudinem non excedent. Numeri vel digitis, vel motu manûs à læva in dexteram partem per locorum modica intervalla diſtinguentur. Supplicamus manibus elatis, & junctis, vel humiliter remiſſis. Adverſamur caput in ſiniſtram, manuſque ſublatas in dexteram partem detorquentes.

Negamus manum dexteram averſam in latus dexterum removentes. Interrogamus eandem converſam ſublevando.

Urgemus crebra manuum impreſſione: contraria diſtinguimus modò in dexteram, modò in ſiniſtram partem manus transferendo.

Confirmamus manibus pronis, gravi quodam ac decente motu depreſſis, vel in medio comploſis. Timemus iiſdem ſublatis, palpitantibus, ac ipſum corpus appetentibus. Iraſcimur manu in pugnum collecta, cum ſuggegûs percuſſione. Pœnitudinem oſtendimus manibus in crucis modum ante pectus compoſitis, vultu mœſto, capite in latus vergente. Admiramur manibus elatis, utrâque volâ ſpectante populum, oculis in cœlum verſis. Ironiam oſtendimus indice in latus verſo, vultu averſo & ſubridente. Hortamur manu cavâ & apertâ, indentidem

ſubla-

ſublatâ . Mitigamur manu aliquoties leniter elatâ, ac demiſsâ cum quadam gravitate . Multitudo ac copia manibus valde disjunctis . Paucitas cavis iiſdem ac conjunctis oſtendetur . Minitamur erecto ac moto ſæpiùs indice . Dimittimus aversâ manu celeriter motâ . Prohibemus manu elatâ & quieſcente . Permittimus dexterâ conversâ ac porrectâ . Siniſtrâ manu rariùs utimur, niſi rerum vaſtitas, copia , motuſque ſummi exprimantur .

AD MAJOREM DEI GLORIAM.

INDEX
LIBRORUM, ET CAPITUM RHETORICÆ,
CAPUT UNICUM.

DE Apparatu, ſeu de iis, quæ univerſim ad Artem Rhetoricam ſpertinent. pag. 5.
Articulus I. *Natura & finis Rhetoricæ.* ibid.
Articulus II. *Materia Rhetoricæ.* 6.
Articulus III. *Subſidia Rhetoricæ.* 7.
Articulus IV. *Partes Rhetoricæ.* 9.

LIBER PRIMUS.

DE prima parte Rhetoricæ, ſeu de Inventione. 10.

CAPUT I.

De Argumentis. ibid.

Articulus I. *Definitio.* 12.
Articulus II. *Notatio, Conjugata.* 13.
Articulus III. *Enumeratio partium.* 14.
Articulus IV. *Genus, Forma.* ibid.
Articulus V. *Similitudo, diſſimilitudo.* 15.
Articulus VI. *Comparatio.* 16.
Articulus VII. *Repugnantia.* 17.
Articulus VIII. *Adjuncta.* 19.
Articulus IX. *Antecedentia, Conſequentia.* 27.
Articulus X. *Cauſa.* 28.
Articulus XI. *Effecta.* 34.

Arti.

Articulus XII. *Loci Extrinſeci.* 31.
Articulus XIII. *Vſus Locorum.* 35.
Articulus XIV. *Modus variandi Argumenti.* 36.

CAPUT II.

De Argumentatione. 38.

Articulus I. *Syllogiſmus.* ibid.
Articulus II. *Ratiocinatio.* 39.
Articulus III. *In Ratiocinatione cautio.* 40.
Articulus IV. *Enthymema.* 41.
Articulus V. *Collectio.* ibid.
Articulus VI. *Sorites.* 43.
Articulus VII. *Dilemma.* ibid.
Articulus VIII. *Epicherema.* 44.
Articulus IX. *Inductio.* ibid.
Articulus X. *Argumentationum uſus, ac venuſtas.* pag. 45.
Articulus XI. *Tranſitio.* 46.
Articulus XII. *Digreſſio.* 49.
Articulus XII. *Modus varianda Argumentationis.* pag. 50.

CAPUT III.

De Amplificatione. 51.

Articulus I. *Amplificatio Verborum.* 52.
Articulus II. *Amplificatio rerum per incrementum.* pag. 53.
Articulus III. *Amplificatio rerum per Comparationem.* pag. 54.
Articulus IV. *Amplificatio rerum per Ratiocinationem.* pag. 55.
Articulus V. *Amplificatio rerum per Congeriem.* ibid.
Articulus VI. *Vſus Amplificationis, & quomodo differat ab Argumentatione.* 58.
Articulus VII. *Modus varianda Amplificationis.* 59.

CAPUT IV.

De Affectibus. 60.

Articulus I. *Amor*. 61.
Articulus II. *Deſiderium*. 63.
Articulus III. *Odium, Fuga*. ibid.
Articulus IV. *Ira, Manſuetudo*. 64.
Articulus V. *Commiſeratio*. 66.
Articulus VI. *Indignatio*. 67.
Articulus VII. *Invidia*. 68.
Articulus VIII. *Spes, Confidentia, Deſperatio*. 69.
Articulus IX. *Timor*. 71.
Articulus X. *Gaudium*. 72.
Articulus XI. *Æmulatio*. ibid.
Articulus XII. *Pudor*. 74.
Articulus XIII. *Vſus Affectuum*. 75.
Articulus XIV. *Inventio Affectuum*. 76.
Articulus XV. *Cauſa Affectuum*. 77.
Articulus XVI. *Modus variandorum Affectuum*. ibid.

CAPUT V.

De Inventione in particulari. 81.

Articulus I. *De iis quæ ſpeciatim pertinent ad Inventionem in genere Demonſtrativo*. 82.
Articulus II. *De iis quæ ſpeciatim pertinent ad Inventionem in genere Deliberativo*. 84.
Articulus III. *De iis quæ ſpeciatim pertinent ad Inventionem in genere Iudiciali*. 86.

LIBER SECUNDUS.

De ſecunda parte Rhetoricæ, ſeu de Diſpoſitione. 88.

CA-

CAPUT I.

De Exordio. 90.

Articulus I. *Exordium legitimum*: ibid.
Articulus II. *Exordium abruptum*. 92.
Articulus III. *Inſinuatio*. ibid.
Articuulus IV. *Virtutes Exordii*. 95.
Articulus V. *Vitia Exordii*. 97.
Articulus VI. *Artificium Exordii*. ibid.

CAPUT II.

De Narratione. 99.

Articulus I. *Quid Narratio, & Quotuplex*. ibid.
ArticulusI I. *Prima virtus Narrationis, ſeu Probabilitas*. 100.
Articulus III. *Secunda virtus Narrationis, ſeu Brevitas*. 101.
Articulus IV. *Tertia virtus Narrationis, ſeu Perſpicuitas*. ibid.
Articulus V. *Quarta Virtus Narrationis, ſeu ſuavitas*. 102.
Articulus VI. *Narrationis Figura*. ibid.

CAPUT III.

De Contentione. 103.

Articulus I. *Propoſitio*. 104.
Articulus II. *Confirmatio*. ibid.
ArticulusII. *Confutatio*. 105.

CAPUT IV.

De Peroratione. 109.

APPENDIX.

De Artificio componendæ Orationis. 110.

BIBER

LIBER TERTIUS.

De tertia parte Rhetoricæ, ſeu de Elocutione. 112.

CAPUT I.

De Tropis in uno verbo. 113.

Articulus I. *Metaphora*. ibid.
Articulus II. *Synecdoche*. 115.
Articulus III. *Metonymia*. 116.
Articulus IV. *Antonomaſia*. ibid.
Articulus V. *Catachreſis*. *Metalepſis*. 117.

CAPUT II.

De Tropis in pluribus verbis, ſeu in Orat. 118.

Articulus I. *Allegoria*. ibid.
Articulus II. *Hyperbole*, *Ironia*. 119.

CAPUT III.

De Figuris verborum. 121.

Articulus I. *Figura per Adjectionem*. ibid.
Articulus II. *Figura per Detractionem*. 124.
Articulus III. *Figura per Similitudinem*. 120.

CAPUT IV.

De Figuris Sententiarum. 128.

Articulus I. *Interrogatio*, *Reſponſio*. 129.
Articulus II. *Subjectio*. 130.
Articulus III. *Occupatio*, *ſeu Prolepſis*. 131.
Articulus IV. *Correctio*, *Dubitatio*. 132.
Articulus V. *Communicatio*. 134.
Articulus VI. *Proſopopœja*. 135.
Articulus VII. *Apoſtrophe*. 137.
Articulus VIII. *Hypotypoſis*. 138.
Articulus IX. *Ethopœja*. 139.
Articulus X. *Apoſiopeſis*. 140.
Articulus XI. *Emphaſis*, *Suſtentatio*. 141.

Arti-

Articulus XII. *Præteritio*. 142.
Articulus XIII. *Licentia*. 143.
Articulus XIV. *Conceſſio*. 144.
Articulus XV. *Parentheſis*, *Ironia*, *Permiſſio*. 145.
Articulus XVI. *Diſtributio*. 146.
Articulus XVII. *Deprecatio*, *Execratio*, *Epiphonema*. 147.
Articulus XVIII. *Exclamatio*; 148.

CAPUT V.

De ſuavitate Elocutionis. 149.

Articulus I. *Numerus Oratorius*. ibid.
Articulus II. *Pedes Oratorii Numeri*. 150.
Articulus III. *Inciſum*. 151.
Articulus IV. *Membrum*. ibid.
Articulus V. *Periodus*. 152.
Articulus VI. *Varium Dicendi genus*. 154.

CAPUT VI.

De quarta parte Rhet. ſeu de Memoria. 156.

Articulus unicus. *De uſu Memoriæ*. ibid.

CAPUT VII.

De quinta parte Rhetoricę, ſeu de Pronunciatione 157.

Articulus I. *Pars prima Pronunciationis*, *ſeu Vox*. ibid.
Articulus II. *Pars ſecunda Pronunciationis*, *ſeu Geſtus*. 158.

FINIS.

MAG 20:39 15